DE HYGINI FABULARUM INDOLE

DISSERTATIO PHILOLOGA

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

AMPLISSIMO IN UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA PHILOSOPHORUM ORDINI

TRADITAM UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE XXII. MENSIS IUNII ANNI MDCCCCI HORA XII

PUBLICE DEFENDET

SCRIPTOR

ALBERTUS WERTH

DUISBURGENSIS

ADVERSARII ERUNT:

CAROLUS ENDERS CAND. PHIL.
CONRADUS HUBERT CAND. PHIL.
IOANNES SCHMIDT CAND. PHIL.

ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

LIPSIAE
TYPIS B. G. TEUBNERI
MDCCCCI

Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/IA41548103_0059

Ab anno 1535 quo 'C. Julii Hygini Augusti liberti Fabularum liber' a Jacobo Micyllo primum editus est, permulti viri docti quae de hoc 'libro ad omnium poetarum lectionem mire necessario' sentirent exposuerunt. Sed in opere tot obscurarum rerum perplexarumque pleno fieri non potuit quin magnopere dissentirent. Neque vero cum sententias suas accuratis observationibus factis et argumentis satis idoneis allatis comprobare supersederent, adhuc consensus evenit. Itaque quamquam homines acri ingenio magnaque doctrina praediti permulta optime animadverterunt et expediverunt, tamen nonnulla quae denuo atque omnibus ex partibus pertemptanda sint restant.

Harum quaestionum gravissima est de auctore libelli, qua diiudicata etiam aliae res controversae disceptationi subtrahentur. Atque iam hoc loco me non cum iis sentire profiteor qui has fabulas ab Hygino clarissimo grammatico, qui Augusti imperatoris aetate florebat et bibiothecae Palatinae praefectus erat, conscriptas aut ex genuinis eius Genealogiis excerptas esse existiment.

Sed mihi Fabularum liber e duabus partibus diversis compositus esse videtur. De posterioris autem indole cum certi nihil adhuc invenerim, priorem e libro graeco Apollodori bibliothecae simili versam esse iam demonstrabo.

Argumentum libri Fabularum cum a Graecis repetitum sit, si res atque verba graeca in eo inveniuntur, per se mirum non est, sed natura rerum factum est. Sed ingentem horum numerum perpendenti mihi in suspicionem venit omnino proprium latini scriptoris opus non esse, sed olim graecum in latinum esse translatum.[1]) Quam sententiam ut comprobem, primum omnia quae huc pertinent in unum locum componam.

A. Enuntiata latinis lectoribus propter res verbaque graeca quae in iis inveniuntur non aperta ad intellegendum:

7 (41, 8)[2]): 'quos pastores pro suis educarunt et appellarunt Zethon ἀπὸ τοῦ ζητεῖν τόπον, [alterum autem Amphionem ὅτι ἐν διόδῳ ἢ ὅτι ἀμφὶ ὁδὸν αὐτὸν ἔτεκεν id est quoniam in bivio eum edidit'.[3])] **59** (61, 1): Phyllis] 'eo die dicitur novies ad litus cucurrisse quod ex eo Ἐννέα ὁδοὶ graece appellatur'.[4]) **66** (73, 1): 'eum quod pedes transiectos haberet Oedipum nominaverunt'. **89** (86,15): 'postea Priamus est appellatus ἀπὸ τοῦ πρίαcθαι'. **99** (93, 7): 'quibus nomina imposuerunt Herculis filio Telephum quoniam cerva nutrierat, Atalantes autem Parthenopaeum quoniam virgine simulante in monte Parthenio eum exposuerat.'[5]) **103** (95, 6): 'quem cuncti appellarunt Protesilaum quoniam primus ex omnibus perierat'. **111** (99, 12): Hecuba] 'canis dicitur facta esse unde et Cyneum est appellatum'.[6]) **125** (106, 23): Ulixes] 'Utin se vocari dixit. itaque cum oculum

---

1) Quod cum cognovissem, Dietze iam antea idem intellexisse videbam Quaest. Hyg. p. 2: 'Fabularum liber non epitome exemplaris latini, sed interpretatio exemplaris graeci est'. Neque tamen hanc sententiam comprobavit aut accuratius definivit, quod opus esse disputatione progrediente apparebit. 2) Cum in optima Fabularum editione M. Schmidtii genuinus ordo prorsus perturbatus sit, numeros paginarum versuumque addo. Sed quod ordo a Schmidtio factus mihi falsus esse videtur — atque omnes eiusmodi conatus reicio et ordinem traditum qualiscumque est servandum esse puto, secundum antiquam capitum seriem procedo. Apparatum criticum quatenus mea interest affero. Coniecturas quas falsas esse existimo non commemoro. 3) Hic locus interpolatus esse videtur; vd. p. 25 h. l. 4) Vd. p. 26 adn. 1. 5) Afferuntur duae nominis causae, sed utraque, ut videtur, genuina est. 6) Cf. fab. 243 (p. insequ. h. l.).

eius trunco ardenti exureret, ille clamore suo ceteros Cyclopas convocavit eisque spelunca praeclusa dixit: Utis me excaecat. illi credentes eum deridendi gratia dicere neglexerunt'. **129** (112, 10): 'Oeneo ... muneri vitem dedit ... fructumque eius ex nomine hospitis oenon ut vocaretur instituit'.[1]) **142** (23, 2): 'cui dii alius aliud donum dederunt ob idque Pandoram nominaverunt'. **145** (24, 16): Io] 'in Scythiam transnavit unde Bosphorum fines sunt dictae'.[2]) **164** (18, 19): 'Minerva ex suo nomine Athenas condidit'.[3]) **167** (20, 18): Iuppiter Liberum] 'Nyso dedit nutriendum unde Dionysus est appellatus'.[4]) **170** (34, 7): Lynceus Danai clipeum] 'donavit Abanti ludosque consecravit qui ... appellantur ἀcπὶc ἐν Ἄργει. e quibus ludis cursoribus corona non datur sed clipeus'.[5]) **178** (35, 2): 'ex bove autem quem [Cadmus] secutus fuerat Boeotia est appellata'. **179** (35, 12): Liberum] 'Mercurius ab igne ereptum Nyso dedit educandum et graece Dionysus est appellatus'.[6]) **187** (119, 1, 12, 14): Alopes filius] 'cum expositus esset, equa venit et lac ei praestabat. quidam pastor equam persecutus vidit infantem ... quem iterum equa nutriebat, pastores iterum inventum sustulerunt ... nomenque ei imposuerunt Hippothoum'. **191** (122, 16): 'quem Liber iussit in flumine Pactolo se abluere. cuius corpus aquam cum tetigisset, facta est colore aureo. quod flumen nunc Chrysorrhoas appellatur in Lydia'. **192** (123, 5): 'quia plures erant Pleiades dictae'. **192** (123, 14): Electra] 'de choro sororum expulsa maerens crinem[7]) solutum gerit. quae cometes appellatur sive longodes, quia in longitudinem producitur, sive xiphias[8]), quia gladii mucronis effigiem producit'. **219** (129, 17): Archelaus] 'profugit ex responso Apollinis in Macedoniam capra duce oppidumque ex nomine caprae Aegeas constituit'. **243** (135, 14): 'Hecuba ... in mare se praecipitavit unde Cyneum mare est dictum, quoniam in canem fuerat conversa'.[9]) **271** (146, 5): 'Atlantius Mercurii et Veneris filius qui Hermaphroditus dictus est'. **273** (146, 10): Lynceus fecit ludos] 'qui appellantur ἀcπὶc ἐν Ἄργει. quibus ludis qui vicit accipit pro corona clipeum, ideo quod ... Lynceus de templo Iunonis Argivae detraxit clipeum' ...[10]) **273** (147, 9): 'his quoque ludis pythaules, qui pythia cantaverunt, septem habuit palliatos qui voce cantaverunt, unde postea appellatus est choraules'. **275** (151, 11): 'Minerva in Chalcide Athenas quas ex suo nomine appellavit'.[11])

---

1) Cf. p. 26 adn. 2. 2) Hic locus vitio laborat. Cf. p. 14 adnot. 3) Cf. fab. 275 infra comm. 4) Cf. fab. 179 infra comm. 5) Cf. fab. 273 infra comm. 6) Cf. fab. 167. 7) In schol. Germ. (Breys. 149), quod eadem exhibet, 'comam' invenitur. 8) xiphax F (cod. Frising.). 9) Cf. fab. 111 p. antec. 10) Cf. fab. 170 paulo supra. 11) Cf. fab. 164 supra comm. Verba 'in Chalcide' mira sunt. Fortasse adiciendus locus 273 (146, 9).

Quibus locis hi adnumerandi sunt:

178 (34, 24): Cadmus draconis] 'dentes . . . sparsit et aravit unde Spartoe sunt enati'. **195** (125, 12): illi in eum urinam fecerunt . . . unde natus est Orion'.

Nam haec quoque nomina verbis graecis explicantur. Tamen quod similia verba latina antecedunt, hos locos segregandos esse putabam. Quibus addere potes eam partem fab. 192[1]) supra commemoratam quae ad vocem 'longodes' pertinet.[2])

Dimidium veriloquium invenitur **3** (39, 11): 'Qui cum ascendissent et aries eos in pelagus detulisset, Helle de ariete decidit ex quo Hellespontum pelagus est appellatum', quo loco verbum πόντοc non explanatur, pelagus supervacaneum additamentum est.[3])

Neque minus exstant loci quibus, etsi intellegi possunt, tamen explanatio addenda fuerit accurato scriptori. Quorum hos praecipuos affero: **19** (52, 2) quo Symplegades, **84** (83, 22) quo Peloponnesus, **91** (87, 16) quo Iuppiter Herceus, **140** (18, 7) quo Delus, **142** (23, 1, 4) quo Prometheus et Epimetheus [et Pyrrha], **145** (24, 18) quo Epaphus, **155** (13, 9) quo Aegipan ex capra, **176** (30, 14) quo Trapezus, **182** (35, 20) quo Hyades[4]), **196** (126, 2) quo Aegocerus[5]), **203** (128, 14) quo Daphnes commutatio in laurum, **204** (128, 18) quo Nyctimenes in noctuam, **275** (151, 18) quo Dioscoris urbs a Castore et Polluce condita commemoratur.[6])

Quos locos animo perlustrantibus veri dissimile esse puto quales nunc legantur a scriptore latino scriptos esse. Atque si quis Fabularum librum a magistro quodam puerorum ad usum confectum esse putat, quomodo ea explicet non video. Nam omnibus his locis explanationes olim additas posterioribus temporibus ab excerptoribus omissas esse non probabilis opinio est. (Vd. praeterea p. 43.)

B. Vocabula graeca:

Neque minus notabilis est vocabulorum graecorum usus. Quod his verbis Tschiassny in dissertatione quam de sermone Hyginiano

---

1) Cf. p. antec. h. l. 2) Etiam fab. 178 (cf. p. antec.) huc referas. Depravatus est locus 178 (34, 16): 'Phoenix in Africam est profectus ibique remansit. inde Afri Poeni sunt appellati'. Nimirum Φοίνικες scribendum erat. Falsum veriloquium legitur 192 (122, 23): 'quae a fratris nomine appellantur Hyades. easdem latine suculas vocant'. 3) Cf. 69, 21; 70, 21; 83, 21; 134, 19; cf. p. 7 h. l. 4) Sed cf. 192 (122, 23 sqq.) 5) Veriloquium latere videtur 274 (150, 1): 'Chiron . . . artem medicinam chirurgicam ex herbis primus instituit'. Mira autem leguntur sub finem eiusdem fabulae (151, 9): 'Belus Neptuni filius gladio belligeratus est unde bellum est dictum'. In hoc indice multi loci posterioris libelli partis velut fab. 252 (139, 15) omittendi erant quod res iam in antecedentibus tractatas continent. At fortasse locis supra commemoratis adnumeranda sunt, quae in fab. 273 (146, 8) leguntur: Ludos] 'fecit Danaus Beli filius filiarum nuptiis cantu unde hymenaeus dictus'. Quae mutila esse videntur.

fecit[1]) optime describit[2]): 'Immoderata quadam dictio Hygini floret graecorum vocabulorum abundantia. Quod dictionis genus si modeste ille usurpasset, cum ex indole ac natura rerum quas pertractavit, tum ex fontibus in quibus versabatur, certe haberet quo aliqua ratione excusaretur. Quamquam quoad eius fieri licet, omnes voces graecas evitare summa optimorum auctorum ac suprema lex fuit. Neque ille tales ex graeco sermone deprompsit voces, quae deessent sermoni vere latino aut, ut latine pronuntiarentur, per ambages variarum circumlocutionum exprimendae essent, sed plurima quae posuit vocabula graeca ita sunt comparata, ut in locum eorum facile notiones substituerit vere latinas. Id autem re vera facere potuisse ex eo intellegitur quod, ut exemplum adferamus, ex vocabulis triginta quinque commemoratu dignioribus octo ille latine interpretatus est. Quamquam ipsis his octo locis mirum quantum libidinose se gessit, cum nonnullis eorum interpretationem latinam adiunxit, qua, cum per se ipsa facilia essent ad intellegendum, carere omnino potuerunt, alia quae ex graeco sermone audacter confinxit, sine ulla interpretatione posuit. Quam ob rem ratione quadam ac via graeca illa vocabula eum usurpavisse equidem negaverim'.

Quae cum in universum comprobem[3]), in ceteris a viri docti sententia recedo. Pergit enim loco commemorato: 'Nescio an ille, quem omnia dicendi genera confuse et permixte exercuisse demonstrabimus, licentiore quodam studio ductus remotissimum quidque petendi plurima illa vocabula graeca sermoni suo interposuerit'. Neque enim scriptorem tam dissolutum et indiligentem hanc laudem quaesivisse existimo. Sed haec explanatio mihi simplicior et veri similior esse videtur, ut in libro e sermone graeco neglegenter verso ea verba male conservata esse dicamus.

Tschiassny sententiam suam indice rariorum verborum graecorum addito comprobare non praetermisit. Qui cum mihi ad rem propositam non sufficiat, suppletum hic repetam. Nam cum eius non interesset omnia vocabula graeca 'auctoritate optimorum scriptorum in civitatem Romanam adscita' enumerare, mihi non satis respexisse videtur sermonem poetarum et prosae orationis scriptorum differre inter se et illis multa vulgaria esse quae his inusitata sint. Neque minus vocabula quaedam, licet saepe ab aliis adhibeantur, propter frequentem in Hygino usum notabilia sunt. Quamquam ego quoque usitatissima tritissimaque omittam.

In indicibus ut Tschiassny ea verba quae Hyginus solus usurpavit et ea quibus alii quoque usi sunt seiungam.

---

1) Studia Hyginiana. I. Vindob. 1888. 2) Cf. p. 10. 3) Vd. p. 7 h. l.

1. *Vocabula graeca ab Hygino solo usurpata*[1]:

acropodium **88** (85, 7); †ameleon **14** (45, 13)[2]; amphrisus **30** (64, 2)[3]; atrotus **28** (57, 7), **30** (64, 2)[4]; chrysomallus **188** (120, 1)[5]; commeletare **165** (19, 7)[6]; †daedalion **200** (127, 14)[7]; [dolichodromus **273** (147, 16)][8]; †ixition **14** (45, 14][2]; [lychniticus **223** (131, 2)[9] (deest in Georg. lex.)]; mantis **14** (44, 11), **190** (121, 6)[10]; mnester **126** (110, 21, 23); monocrepis **12** (43, 15); pitulus **14** (49, 13) (deest in Georg. lex.); tutarchus **14** (49, 11)[11]; †ypsipylon **201** (128, 5).

2. *Vocabula graeca ab aliis quoque scriptoribus Romanis adhibita:*

(Quoniam tempus libelli finibus circumscribere nunc mea non interest, nomina scriptorum qui iisdem vocabulis usi sunt non afferam.)

adamanteus **22** (53, 8); adamas **148** (22, 1), **166** (19, 16); [alcyonia **65** (63, 6)]; antrum **30** (64, 2); astrologia **274** (150, 24); athlum **30** (in titulo 63, 23), **91** (87, 11); [baccha **7** (41, 14)]; cataclysmus **153** (26, 17); celeuma **14** (49, 15); cenotaphium **273** (148, 2); cetus **31** (65, 12), **64** (62, 16), **89** (86, 4, 6, 9); chirurgica ars medicina **274** (150, 1); choraules **273** (147, 10); chorea **88** (85, 3); [circinus **274** (150, 21)]; [ciris **198** (126, 20)]; citharista **14** (44, 12); clinice **274** (150, 3); [colossus **223** (131, 4)]; crepida **13** (44, 8)[12]; cycnus **77** (80, 10), [**154** (27, 18)]; cymbium **273** (148, 19); [diaulos **273** (147, 17)]; [discus **63** (62, 11), **273** (147, 8)]; eclipsis **258** (143, 23); electrum **154** (27, 14); ephebus **14** (46, 8), **271** (in titulo 146, 1); [ergastulum **190** (121, 19)]; Eridanus **14** (45, 24), **152** (26, 11); [**154** (27, 10)][13]; gymnicus **2** (39, 5), **273** (147, 4; 148, 3); haliaetos **198** (126, 19)[14]; hecatombe **118** (102, 23, 24); [hecatonpylae **275** (151, 11)]; Heniochus **224** (132, 17)]; [heptapylae **275** (151, 17)]; [Hesperus **65** (63, 1)]; [Histria **23** (53, 23)]; [hymenaeus **273** (146, 9)]; [labyrinthus **40** (69, 16), **42** (70, 12)]; lebes **273** (148, 8, 19); lyrici **222** (in titulo 131, 1); lytrum **106** (in titulo 96, 23);

1) Locos ab aliis scriptoribus repetitos qui ad verbum descripti sunt non curo. 2) Fortasse nomen proprium. 3) amphyriso in schol. Germ. Strozz. p. 131, 11 quoque legitur. Vide ne nomen proprium sit. Cf. Robert, Eratosth. p. 217; Pauly, Realencycl. I², 2724; 1902. 4) F atropos, ac tropum. 5) Errore non versum, sed nomen proprium habitum esse videtur. Cf. 39, 7; 44, 2; 53, 7 (inauratus, auratus). Cf. Apoll. 28, 25; 29, 9 ed. Wagn. 6) Vox hibrida (comμελετῶ). 7) Errore scriptum est. 8) Cf. p. 7, adn. 6. 9) F lychnicis; lychnitis Salmasius. 10) Idem conicio 136 (115, 17), ubi F Bizanti. 11) Hoc recte codice tradi neque 'toecharchus' scribendum esse admonet me Buecheler; cf. Heraeus in Woelfflin. arch. lexicogr. lat. XII p. 93. 12) Cf. paulo supra 'monocrepis'. 13) Padus legitur 154 (27, 10). 14) halietos F.

[meleagrides **174** (29, 22)]; melos **274** (151, 4); [morus **136** (115, 18)]; mysteria **184** (37, 22); nothus **85** (83, 25)[1]); [ortyx **53** (59, 1)[2])]; palaestra **277** (153, 7); palladium **116** (101, 21); pammachium **273** (147, 5, 19); pancratium **273** (147, 5); [panthera **134** (114, 5)]; parergon **31** (65, 4 in titulo); pelagus[3]) **3** (39, 11, 12), **40** (69, 21), **43** (70, 21), **84** (83, 21), **242** (134, 20); petra[3]) **19** (52, 6), **21** (52, 13), **36** (67, 22), **38** (69, 2), **89** (86, 8), **116** (101, 24), **141** (22, 12), **169** (32, 10, 14); pharetra **273** (148, 24); philtrum **34** (67, 3); pirata (a mari) **190** (121, 7); piratica **134** (114, 9); proreta **14** (49, 10); pyra[3]) **36** (67, 23), **72** (76, 3), **102** (94, 19), **104** (96, 3), **243** (135, 21; 136, 17); pythaules **273** (147, 9); silanus **169** (32, 15); stadium **185** (117, 9), **273** (147, 17), in fabula **276** (152) duodecies; †styx[4]) 28 (57, 12); sybotes **126** (110, 3, 16); thalamus[3]) **29** (63, 9, 10), **100** (93, 20), **104** (95, 14; 96, 1), **166** (20, 3), **189** (120, 27); Thressa **15** (50, 6); [thyrsus **134** (114, 14)]; Titanomachia **150** (in titulo 25, 5); [trieterica **131** (113, 18)]; tripus **32** (66, 9); triscelum **276** (152, 8); zelus **199** (127, 5).

Quorum vocabulorum etsi nonnulla ut vocabula artium et ea, quae ad fabulam melius percipiendam usui sunt, vix evitari poterant[5]), tamen complura aut plane supervacanea sunt aut facile verti poterant. Itaque licet scriptores argenteae quam vocamus latinitatis, inter quos haud dubie 'Hyginus' ille referendus est, quo magis litterae et artes graecae recipiebantur, eo pluribus verbis graecis usi sint, tamen numerus eorum, quae in hoc libro inveniuntur, notandus est.

C. Formae graecae.

Atque vero in verbis graecis ipsis ac praecipue in nominibus propriis vestigia formarum graecarum saepenumero servata sunt. Latina enim forma usitatissima tantum vocabula expressa sunt. Haec enim sola inveniuntur nomina latina:

Alcumena[6]) Apollo Aquilo Aurora Diana Furiae Graecia Gratiae Hecuba[7]) Hercules Iuno Iuppiter (Iovis) Iustitia Lares Latona Liber (pater) Libera Lucifer (Diana Lucifera) Mars Mercurius Minerva Moneta[8]) Neptunus Ops (Opis) Orcus Parcae Poeni Pollux Proserpina

---

1) F natum; 'nothum' coni. Barth. 2) F ortygiam; ὄρτυγα Myth. Vat. II, 17; ortygem Σ (M. Schmidt); contra Georg. (cf. lex. II, 1253) cum Σ et Tschiassny (cf. p. 11 adn. 24) formam 'ortyx' Hygino restituo; sed scribo accusat.: ortyga; cf. infra p. 10. 3) Huius verbi frequens usus notandus est. 4) Hoc vocabulum errore non translatum esse videtur; cf. p. 15 h. l. Fortasse iam in archetypo graeco corruptum erat. 5) Ea vocabula talibus uncis [ ] inclusi. Titulos et nomina ut Atthis Phaenomena Odyssea, cometes longodes Utis xiphias alia omisi. 6) 63, 7, 8, 13 (at codex: Alcimena) 17; 13, 2; 131, 12; 134, 12; Alcimenae 46, 7. In titulo fab. 29 (p. 5) Alcumena legitur. 7) At Danai filia 170 (33, 12) Hecabe audit. 8) Falso pro 'Mnemosyne' bis in praef. 10, 4; 12, 7.

Saturnus Septentrio Sol Suculae Tellus Terra Ulixes[1]) Venus Vesta Victoria Virgo Vulcanus.

Quibus accedunt haec rara: Discordia[2]) **92** (87; 20) = Ἔρις; [Lucifera **261** (145, 2)]; Luna praef. (12, 9), **30** (64, 2), **178** (34, 19), **271** (146, 2) = Σελήνη; Mater Matuta cf. p. 25. Nebula (uxor Athamantis) **1** (38, 5), **2** (38, 13), **3** (39, 7) = Νεφέλη; Nubes (uxor Ixionis) **33** (66, 14, 22) = Νεφέλη; bimater **167** (20, 19) = διμήτωρ.[3]) Praeterea multae notiones in praefatione, quas singillatim enumerare supersedeo.[4])

Aesculapii dei nomen utraque forma legitur: 1. latina duobus locis **49** (57, 13), **173** (28, 11); 2. graeca Asclepius sex: **14** (47 adn. 23), **161** (15, 5), **202** (128, 9), **224** (132, 6), **251** (139, 5), **274** (150, 3).

Tamen mea sententia non omnes hi loci in quaestione proposita iure afferuntur, cum nonnulli in fabulis interpolatis legantur.[4]) Sed quoniam haec res difficillima est et in ea consensus virorum doctorum vix umquam fiet, omnes hic proponendos esse duxi.[5])

Sed illis nominibus latinis multa vestigia formarum graecarum opponi possunt. Animadverti haec:

Amphitryon[6]) **29** (63, 8, 15, 20), **244** (136, 18); Cassiopeia[7]) **149** (25, 3); Cleio praef. (10, 20); Hypeirochus **90** (86, 24); Zminthe **120** (104, 7); Zmintheus **106** (96, 25); Zmyrna **251** (139, 11).[8])

1. *Prima declinatio:*

In nominibus in e litteram exeuntibus omnibus fere locis hae terminationes: e, es, en conservatae sunt. Quo ab usu scriptor non recessit nisi: a) in verbis saepissime adhibitis ut: Aetna Attica Creta[9]) Europa[10]) Helena Ida Ithaca Sparta; b) in Aeaea Andromacha

1) 'Ulyxes' vel plerumque 'Ulysses' F. 2) Ibi legitur: 'excepta Eride id est Discordia'. 3) Ad hunc locum Dietze adnotat (Quaestion. Hyginian., p. 37): 'Translationem cognominis Διμήτωρ mythographus ab Ovidio mutuatus est. (Met. 4, 12; cf. met. 3, 317: bis genitus).' Quod mihi non concedendum videtur esse. Nam si id nomen transferebatur — atque alia a mythographo translata sunt — aliter verti non poterat; cf. Anthol. Lat. 573, 2. 4) E. g. vd. p. 15 sq. ubi de locis spuriis agam. 5) Si quae verba facillima mutatione in formam latinam redacta aut terminatione latina instructa sunt — affero e. g. Moesia Sardinia Sicilia Troiani, Dercetis Alexander Periander Teucer — leve est. Neque minus omittenda sunt nomina Romana in narrationibus quae ad historiam Romanam pertineant, cf. p. 28. Iniuria praeterea Bunte in fab. 145 (p. 116, 1 B = 24, 14 Σ) scripsit: 'At Iuno Formidinem ei misit cuius timore exagitata' eqs. Nimirum 'formidinem' retinendum est; nihil enim est nisi falsa translatio verbi οἶστρος. Cf. Apoll. p. 52, 11 edit. Wagn.: Ἥρα δὲ τῇ βοὶ οἶστρον ἐμβάλλει. 6) Cf. 136, 19. 'Amphitrion' i. e. Amphitryon 63, 8. 7) Cassiopeia Mic. [2]; cassiopa schol.; 62, 15 Cassiope. 8) 60, 15; 135, 9; 152, 2 'Smyrna'. 9) At 'Creten' 198 (126, 17). 10) At iure 14 (47, 2) 'Europes Tityi filiae'.

Antigona Eudora Eudoxa Iliona Lena †Laethusa Persa Phaesyla Polyxena Taygeta Tricca. Quorum pleraque item non rara sunt.[1])

Et in e et in a litteram exeunt: Aerope Ambrosie Antiope Atalante Chione Cleobule Deipyle Erigone[2]) Hesione Iocaste Libye Melanippe Niobe Otrere.[3])

In ceteris autem nominibus omnibus nominativi genetivi accusativi ablativi formae secundum morem graecum factae sunt.[4]) Quae etiamsi ex Ovidii fere temporibus gliscunt, tamen propter frequentissimum usum memorabiles sunt.[5])

Atque nonnullis locis vel formam epicam conservatam videmus:

Aetherie (12, 15; 27, 16) Agre (37, 12) Ambrosie (35, 21) Anaxibie (57, 18)[6]) Asterie (11, 12; 58, 25) Bromie (35, [17], 21) Clytie (11, 7)[7]) Ephyre (10, 20; 151, 20) Euporie (36, 9) Helie (12, 14) Hesperie (9, 11) Lampetie (13, 12) Melie (11, 5; 14, 12[8]); 51, 6) Orthosie (36, 10) Otrere (16, 4) Phisadie (= Thisadie 81, 12; 88, 11).[9])

Verborum in ης exeuntium terminatione latina instructa sunt haec: Aeeta (multis locis) Laerta (28, 16)[10]) Philocteta (90, 26; 101, 7; 142, 7).[11])

---

1) Accedunt nonnulla nomina depravata: †Cinna 24, 5 †Helicta 33, 16 †Lerta 43, 6 (cf. Roscheri lex. II, 1949). Si quae nomina in genetivi tantum forma leguntur eaque in ae exit, quod inde nominativus non certo restitui potest, omisi. — Bene p. 35, 15 †Adrasta correctum est in Adrastea. 2) Bunte adn. 100, 29: 'Nominativus ubique est Erigone'. 3) Utraque forma graeca legitur in Messene 173ᵇ (29, 4) et Messenia 137 (116, 10). 4) Cf. Neue, Formenlehre I², p. 40 sqq., 60 sqq., 58. 5) In fab. 8 (42, 1) Schmidt dativi formam 'Dirce' (F dirce) retinuit ad Neue l. c. p. 62 sq. relegans. Quod mihi propter plerosque locos quibus ae invenitur non veri simile est. De accusativo in litteras em exeunte cf. Neue l. c. p. 58 (legitur in F: Eurydicem Iocastem Melanippem Meropem Penelopem Semelem). 6) Incerta est forma 'Anaxibiae' 48, 1. 7) Nomina 'Clytie Menestho' in F scripta sunt: 'clitemneste'. 8) F melite. 9) Bene ad hunc locum Bursian (Fleckeis. annal. 93, 775 adn. 31) dicit: 'die ionische Form dieser Namen (agit de indice Horarum p. 36 Σ) führt mit Sicherheit auf einen (uns unbekannten) griechischen Dichter als Quelle'. Omnino pleraque in indicibus ex poetis desumptis leguntur; praeter commemorata nomina 'Euporie' 'Orthosie' (Horas) inveniuntur in Nereidum catalogo Hesiodeo 'Ephyre', in Hesperidum 'Hesperie', in Oceanitidum Hesiodeo 'Clytie' 'Melie', in sororum Phaethontis 'Aetherie' 'Helie' 'Lampetie', Poli et Phoebes filiarum 'Asterie', Amazonum 'Otrere', Dodonidum 'Ambrosie' 'Bromie', canum Actaeonis 'Agre'. Itaque cum formae epicae in Fabularum libro inveniantur, omnibus locis conservandae sunt. Qua re Schmidt iure 'Demophoon' (60, 24) servavit, quamquam altero loco (72, 17) Demophon legitur. [Animadvertendum est utroque loco (11, 10; 52, 20) Thermodoon in F scriptum esse.] 10) At 'Laertes' 89, 2; 121, 5; incertum 'Laertae' (gen. et dat.) 90, 9; 128, 3. 11) Sed plerumque 'Philoctetes'.

2. *Secunda declinatio.*

a) Nominativi terminatio oc in his verbis animadvertitur[1]: Chediaetros (37, 20)[2], Crotos (132, 6)[3], Iolcos (29, 4)[4], Labros (37, 10)[2], Moeros (142, 9), Nebrophonos (37, 7)[2], Otos (56, 20)[5], Oresitrophos (37, 13)[2], Pamphagos (37, 7)[2], Phaleros (46, 1), Sannos (37, 19)[2], Taenaros (29, 4)[4], [Aethlios (15, 6)].[6]

b) Accusativi ov: Cion **14** (48, 9), loton (106, 12), oenon (112, 12), Pelion (57, 4), Pyrrhon (89, 16), Scyron (89, 13)[7], Zethon (41, 8).

c) Nominativi pluralis oe: Spartoe (34, 25).

3. *Tertia declinatio.*

Has formas memoratu dignas repperi:

a) genetivi: Oedipodis (73, 24; 74, 12 bis; 76, 17; 77, 24; 136, 14)[8]; Endeidos (45, 20)[9] Thebaidos (151, 10)[10]; Inus (38, 23; 134, 4; 136, 5; 147, 11) Theanus (118, 23) Tyrus (43, 15).[11]

b) accusativi: Aellopoda (47, 15)[12] Astyanacta (98, 16) Athamanta (52, 18) Chryseida (96, 25; 104, 14)[13] Coronida (128, 6)[14], Demophoonta (136, 8) Dioscorida (151, 18) Laomedonta (138, 13) Perseida (151, 18) Phaethonta (138, 11) Trapezunta (151, 14) — Chalybas (48, 12) Ciconas (106, 10) Cyclopas (107, 2) Hyadas (123, 1) Laconas (145, 4) Laestrygonas (107, 11) lebetas (148, 19) mnesteras (110, 21) Phrygas (148, 10) Sirenas (108, 9) Strophadas (47, 18; 52, 4) Symplegadas (52, 5, 8)[15]; Absorin (54, 11)[16] Charybdin (108, 23) Ityn (133, 17; 137, 14)[17] Parin (97, 15)[18] Procrin (121, 4)[19] Utin (106, 23)[20]; Argo (51, 15) Callisto (30, 9) Celaeno (47, 16) Dino (praef. 11, 2) Ino (38, 24, 26; 35, 5).[21]

c) ablativi: Callisto (13, 10) Celaeno (14, 9) Ceto (praef. 11, 1) Ino (38, 7; 37, 23) Io (25, 1; 13, 4) Theano (118, 5) Themisto (38, 6; 14, 1) Tyro (14, 8).

---

1) Omitto usitata: Andros Delos Myconos Naxos Paros Rhodos Samos Tenedos Tenos (F Tenedos 151, 20); in 'Gyarus' 'Seriphus' (l. c. 152, 21) oc in us a librariis mutatum esse videtur. Cf. canum enumerationem (p. 37). 2) In indice canum Actaeonis. 3) In indice stellarum. 4) In indice urbium. 5) F 10, 11 othus. 6) Coni. Scheffer; F ethalion. 7) F scyro. 8) Quattuor locis legitur 'Oedipi Oedipo Oedipum'; cf. Neue l. c. I, 574 sq. 9) F paeneidos. 10) F thebaidas. 11) At Gorgonis (62, 20, 24) Inonis (40, 8) Perseonis (45, 15) Themistonis (40, 9) Tyronis (61, 9). Cf. Neue I, 344; 300. 12) F alopiena. 13) Cf. infra p. insequ. 14) F 128, 8 Coronidem. 15) Locis adnot. 11 allatis addendi sunt: Inonem (40, 1, 3, 7) Themistonem (40, 2) Plutone (forma a Πλουτώ derivata) (13, 8). Sed cf. p. 11. 16) Sed 'Absoridem' 55, 17. 17) Sed 'Itym' 71, 16; cf. Neue I, 323. 18) 'Paridem' etc. 87, 12; 88, 2 saepius. 19) 'Procridem' 134, 17. 20) Cf. Neue I, p. 312, 208. Praeterea adnotanda sunt: Chloridem (42, 19). Alcestim (57, 18 bis; 58, 2, 7, 8) Parim (87, 8) Phalarim (143, 2). 21) Formas latinas vd. adnot. 11 et 15 h. p. Neue I, 314.

Formas denique falso factas ex graecis aut licenter animadverti has: Argo (gen. 46, 4; 48, 5)[1]) Callisto (gen. 131, 14)[2]) — Philocteti (67, 24)[3]) Persi (56, 1)[4]) Chrysi (96, 25; 104, 19)[5]) — Salamin (nom. 29, 5)[6]) — Salaminam (45, 22)[7]) Amazonam (64, 19; 134, 16)[8]) Briseidam (96, 23; 97, 6)[9]) Chryseidam (104, 10)[9]) — Sphingae (gen. 73, 18; recte Sphinge 73, 20).[8]) Neque minus in voce 'Chiade' (43, 8) falsa nominativi forma ex casu quodam obliquo vocis Χιάς (cf. 77, 17) facta esse videtur.

[Nominativi tertiae declinationis in on exeuntes quippe quibus vix ulla persuadendi necessitas insit omitto.][10])

Apparent igitur in Fabularum libro multae formae aut graecae aut secundum graecas factae, quibus veri similius fit eum ex opere graeco translatum esse. Quae sententia ne latinis quidem formis quae non raro interpositae sunt infringitur.[11])

D. Loci falso translati.

Iam olim viri docti in locis quibusdam offenderunt quibus error adnimadvertitur qui nisi ex falsa conversione explicari non potest. Quorum notissimi hi sunt:

3 (39, 18): Aeetae] 'responsum fuit ex prodigiis ab advena Aeoli filio mortem caveret', ubi intellegendus est Iason Aeoli progenies.[12]) (Cf. schol. Stat. Theb. II 281: 'Ut ab advena Aeoli progenie mortem caveret Phrixum interfecit.') Nimirum in libro graeco legebatur ὑπ' Αἰολίδου vel ὑπό τινος τῶν ἐξ Αἰόλου.[13]) Quod falso translatum esse quamquam iam olim Thomas Muncker sagacissimus ille Hygini interpres vidit, tamen novissimus Hygini editor Schmidt 'ab advenae filio' scripsit. Quod neminem fere comprobaturum esse puto.[14]) **186** (117, 21): 'Melanippen Desmontis filiam (sive Aeoli ut alii poetae dicunt) . . . quod cum Desmontes rescisset . . . 118, 20: qui ad Desmontem pervenerunt'. Sed cum Desmontes nomen graecum omnino non sit, viris doctis suspicionem movit. Neque aenigma non

---

1) Cf. Neue I, 315. Falso Schmidt 324 in adn. p. 37, 23. In indice eius quaedam desunt. 2) Cf. Neue I, 301. 3) Sed cf. p. 9 cum adn. 11. 4) Persen 56, 4, 18; 137, 7. 5) Chrysen 104, 8, 16, 20. (Alia nomina secundum tertiam aut primam tertiamque declinationem declinantur, ut Orestes Thyestes.) 6) Cf. Neue I, 155. 7) Ibid. p. 325. 8) Ibid. p. 324. 9) Ibid p. 324. 'Chryseida' 96, 25; 104, 14. 10) Cf. Neue I, 156 sqq., 149 sqq. 11) Cuius rei causae afferri possunt tres: aut auctor libelli ipse non aequali ratione usus est aut librarii formas graecas in latinas commutaverunt aut Fabularum liber partes complurium librorum continet. Sed difficile est unoquoque loco certum iudicium facere. 12) Cf. Schmidtii adn. ad h. l. 13) Cf. praeterea Lact. Theb. 2, 28. Saepius Iason Aeolides appellatur; cf. Pind. Pyth. 4, 127. 14) Non mihi placent quae Lange (de nexu . . . p. 56 adn. 3) ad hunc locum adnotat: 'Equidem sic statuo librarium cum in fabulis 1 et 5 Aeoli filii mentio fieret pro suo stupore idem in fab. 3 scripsisse', cf. p. 10 l. c.

solverunt. En quae Nauck[1]) praeeunte Wagnero scribit: 'Desmontis effinxit Hyginus cum in graeco exemplari invenisset περὶ Μελανίππης τῆς δεσμώτιδος.

Similiter erravit Hyginus: **188** (119, 20): 'Theophane Bisaltidis filia', ubi Bisaltae scribendum erat. Cuius filia nimirum Βισαλτίς sermone graeco appellabatur. (Cf. Ovidii met. 6, 117: 'aries Bisaltida fallis'.)[2]) **271** (146, 5): 'Atlantius Mercurii et Veneris filius qui Hermaphroditus dictus est'. Quo loco mirum nomen Atlantius Bursian optime refutavit cum ad Ovidii versum (met. 4, 368), in quo Hermaphroditus Atlantiades audit, delegaret.[3])

Quibus locus **139** (17, 9) mihi adnumerandus esse videtur: 'ne [Iovis] pueri vagitus exaudiretur, [Ops] impuberes convocavit . . . qui graece Curetes sunt appellati. Alii Corybantes dicuntur. Hi autem Lares appellantur.'[4]) Neque enim dubito, quin 'impuberes' illud ex voce graeca Κούρητες fictum sit.[5])

Quod autem Lange[6]) errorem in fab. **31** (65, 19) commissum: 'Hesperidibus sive nymphis' affert, difficile dictu est, num auctori libelli tribuendus sit. Nam graecum ἢ, licet facilius quam latinum 'sive' in textum irrepere potuerit, tamen non constat, num a librario additum sit an verba 'sive nymphis' eqs. interpolatori debeantur.[7])

De nominibus non bene translatis cf. p. 8. Quibus addendum est 'insula Taenaria' in fab. **79** (p. 81, 7); quo loco vocem 'insulam' 'ex liberiore usu vocis insula, quae ut νῆσος apud Stephanum Byzantium aliosque geographos graecos de quovis loco maritimo dicatur' ortam esse Bursian[8]) putat. Sed affert unum locum ex Mythogr. Vat. I[9]) petitum quo 'insula quae Aulis vocabatur' scriptum exstat. Sed cum hic quoque scriptor ex graecis pendeat, hanc significationem verbo insulae inesse non satis comprobatur. Immo utrumque locum falso translatum esse existimo.[10])

Minus notabile est quod f. **178** (34, 17) legimus: 'Phoenix in

---

1) Frg. trag.² 408; cf. praet. quae Bursian in Fleckeis. ann. 93 p. 784 et Stoll in Roscheri lex. myth. I 993 scripserunt. Lange in dissert. p. 21 ad hunc quoque locum falsa adposuit. 2) Cf. Bursian. l. c. Bene Schmidt ad hunc locum: 'cave ipsum auctorem corrigas'. 3) Cf. Fleck. 93, 784. 4) Verba 'alii . . . appellantur' interpolata esse videntur. 5) De voce κούρητες = κοῦροι, νέοι vd. Roscheri lex. myth. II 1587. 6) Cf. l. c. p. 10 adn. 1. 7) Nullius plane momenti est fab. 14 (47, 15): 'Thaumantis et Oceanines' pro Electrae Oceanines' (coni. Perizonius; F Ozomenes) quem locum ibidem affert. Neque enim, ut sint recte emendata verba — at cf. Burs. in Fleck. ann. 93, 771 sq. — ipsi auctori errorem attribuendum esse demonstratum est. 8) Cf. Emendat. Hyginian. (in indice schol. aestiv. Jenens. 1874) p. 12. 9) I, 20. (Cf. Script. rer. myth. ed. Bode 6, 36.) 10) Optime mihi Bursian Emend. p. 12 voces corruptas 'Crumissa insula' (119, 21, 23) ['Crumissenses' ibid. 25] praeeunte Munckero in Κριοῦ νῆσον correxisse videtur.

Africam est profectus . . . inde Afri Poeni sunt appellati', quo loco forma 'Phoenices' aptior erat.[1])

At non solum nomina propria, sed etiam alia male versa sunt. Qualia viri docti haec indicaverunt:

24 (54, 21): Medea] 'ex venenis multa miracula fecit'. Cf. Bunte p. 51, 10: 'i. e. διὰ φαρμάκων, arte magica, ut ait Muncker'. **51** (58, 2): qui] 'Alcestim in coniugio avexisset'. Cf. Schmidtii adnot. ad h. l.: ''in coniugio' videtur ἐν ξυνωρίδι significare'. Cf. praeterea Dietze p. 12 adn. 2. et p. 15. **75** (79, 19): 'Tiresias . . . dracones venerantes dicitur baculo percussisse', quo loco 'venerari' Dietze (p. 15) pro graeco ἀφροδισιάζειν positum esse existimat. **80** (81, 23): 'quemadmodum aedificabat pilam', i. e. cum . . . Cf. Dietze p. 18 adn. 1: 'graecum ὡς fortasse reddi Foerster monet'. **22** (53, 6): 'Aeeta Iasoni hanc simultatem constituit'. Cf. Dietze p. 15: ἆθλον προτιθέναι τινί. **199** (127, 7): 'Scylla . . . ferox facta'. Cf. Schmidtium ad h. l.: ἀπεθηριώθη (secundum Tzetz. ad Lycophr. p. 13 St.). Praef. (12, 5): 'Ex Iove . . . et Iunone . . . Libertas'. Cf. Schmidt. (in mus. Rhen. 20, 460): 'immo Lucina; Ἐλευθερία pro Ἐλευθώ vel Εἰλείθυια versum est'.[2])

Quibus permulta addere licet. Sed quoniam res incerta est, argumenta inde repeti non possunt.[3])

---

1) Fab. 155 (13, 9): 'Aegipan ex capra' rectum esse videtur. Cf. Robert Eratosth. p. 241. Neque scriptori crimini vertendum est, quod in Glauci Minois filii fabula (136) annominationem inter verba Γλαῦκος et γλαύξ, quae verbis (115, 20): 'vidit noctuam super cellam vinariam sedentem et apes fugantem' iam non cognoscitur et verbo graeco addito indicanda erat, delevit. Cf. Bunte p. 111, 5. 2) Valde dubito num f. 130 (112, 19) 'genus suavitatis' ex graeca voce γάνος et f. 154 (27, 11) 'vocavit' ex μετωνόμασε orta esse recte Schmidt iudicet. 3) Nonnullos locos nuper tractavi in Schedis philol., Bonn. 1891, p. 115 sqq. Atque permultos qui corrupti leguntur, frustra viri docti dederunt operam ut emendarent. Neque enim mea quidem sententia verba latina librariorum incuria depravata sunt, sed iam in exemplari graeco vitium inerat. Cf. e. c.: 10 (43, 4): 'nam quos annos Chloris et fratrum Apollo eripuerat, Nestori concessit'; 14 (46, 19): 'aiunt Lynceum noctu nullum vidisse'; 14 (48, 4): Argus] 'pelle taurina lanugine adopertus'; 14 (49, 10): 'Lynceus . . . qui multum videbat'; 15 (50, 12): 'Polyxo aetate constituta'; 30 (64, 1): Hercules] 'infans cum esset dracones duabus manibus necavit . . . unde primigenius est dictus'; 36 (67, 24): Herculem] 'ascendisse mortalitatem' (cf. 94, 20); 37 (68, 8): 'itaque postea Aethra peperit Theseum'; 75 (79, 26): Iuno] 'aversa manu Tiresiam excaecavit'. 78 (80, 20): 'ut cui Tyndareus eam dedit uxorem'; 79 (81, 11): 'ad Helenam Castor et Pollux . . . belligerarunt'; 82 (82, 18): 'dicitur [Tantalus] . . . in aqua media fine corporis stare' (cf. Lange l. c. p. 48: 'sic corrigenda esse puto: fine oris; cf. Eur. Orest. 7: μέσον ὕδατος ἄχρι τοῦ πώγωνος'. Haud scio an in codice graeco pro verbis: μέχρι τοῦ στόματος quae re vera desiderantur scriptum fuerit: μέχρι τοῦ σώματος.); 91 (87, 3): Hecuba] 'vidit se facem ardentem parere ex qua serpentes plurimos exisse'; 98 (92, 13): 'Agamemnon cum Menelao fratre Asiae delectis ducibus . . . ad Troiam cum irent' (conicio in exemplari graeco Ἀσίας pro Ἀχαίας scriptum exstitisse); ibid (92, 18): cum] 'Calchas se respondisset

Accedunt nomina quaedam falso exarata; quorum errorum origo facilius ex litteris graecis quam latinis explicari potest. Cuius rei nonnulla exempla attuli in Sched. phil. p. 116.[1])

Sub finem adicio paucos locos qui non Romanorum sed Graecorum consuetudini loquendi conveniunt.[2]) Cf.: **4** (40, 1): 'Athamas in Thessalia rex'; **8** (41, 15): 'Nyctei regis in Boeotia'; **16** (50, 21): 'Cyzicus . . . rex in insula Propontidis'; **100** (93, 13): 'Teuthrantem regem in Mysia'; [**117** (102, 16): 'demandavit in Phocide Strophio']; **34** (67, 1): 'cum sciret sagittas hydrae Lernaeae felle tinctas quantam vim haberent veneni' . . .; **67** (73, 13): 'Sphinx Typhonis' (scil. filia); fab. **173** (permultos locos)[3]); **118** (102, 20): 'diceret quando domum repetitionem haberet'; **125** (106, 13): ut . . . oblivionem caperent domum reditionis[4]); **140** (121, 7): 'quam ludentem a mari piratae rapuerunt.'

Nonnulla autem verba translata non sunt, quamquam ea trans-

---

aliter expiari non posse' (nisi forte 'expiari' pro 'expiare' scriptum est); ibid. (98, 20): 'Ulixes eum (scil. Agamemnonem) consiliis ad rem pulchram transtulit'; 121 (104, 13): 'Apollo exercitum eius (scil. Agamemnonis) partim fame prope totum consumpsit' (notanda est similitudo verborum λιμός ac λοιμός); 125 (106, 12): 'qui loton ex foliis flore procreatum edebant'; ibid. (107, 24): Circe] socios eius ad pristinam formam restituit, ipsa cum eodem concubuit; 136 (115, 17): 'Polyidus Coerani filius Bizanti' (cf. supra p. 6 s. v. μάντις); 141 (22, 11): 'Sirenes . . . Proserpinae raptu aberrantes ad Apollinis petram venerunt'; 145 (24, 14): 'Iuno formidinem (scil. οἶστρον) ei (scil. Ioni) misit'; ibid. (24, 17): unde Bosphorum fines sunt dictae'; 148 (22, 9): Soli . . . Venus ob indicium ad progeniem eius semper fuit inimica'; 165 (19, 12): 'Apollo victum Marsyan . . . Scythae tradidit qui eum membratim separavit'; 174 (29, 20): 'Sorores . . . flendo deorum voluntate in aves sunt transfiguratae' (cf. 9 (42, 20): Niobe] 'flendo lapidea facta esse dicitur'); 184 (117, 1): 'hospes falso simulavit se hostiam percussisse eumque interfecit'; 191 (122, 11): 'Midae Liber . . . deoptandi dedit potestatem'; 225 (133, 6): 'Otrera . . . templum Dianae Ephesi prima fecit, quod postea a rege restituerunt'. 261 (144, 19): Orestes] accepto oraculo carendi sororis causa . . . Colchos petierat'. Quibus locis quae viri docti ad textum emendandum coniecerint, vix cuiquam arridere puto. At si in linguam graecam verteris, saepius originem erroris facile cognoscere poteris. [Hic non praetermitto locum fab. 28 (57, 5): 'qui ab Apolline nacti sunt interfecti', quo viri docti a Micyllo usque ad novissimos Schmidtium et Bursianum (Emend. Hyg. p. 6 sq.) multa non recta protulerunt. Nihil mutandum est. Cf. Neue II, 306.]

1) Cf. 81, 12 Phisadie = 88, 11 Thisadie; 108, 1 Nausithoum, F nausiphoum; 24, 5 Phoroneo, F thronio. — 57, 7 atrotos, F Atropos, 64, 2 atroton, F ac tropum; (at Ociti 91, 22 recte se habet, cf. Apoll. bibl. ed. Wagn. p. 192, 1). — 72, 17 Demophon, F Dedophon. — 64, 18 Podargus, F Podarius; alia.

2) Hi loci sunt maxime memorabiles. Alia multa infra afferentur. Saepenumero viri docti in scribendi genere Hyginiano offenderunt idque coniecturis perpolire studuerunt. Sed erraverunt. Quae minus placent si in sermonem graecum vertes, aptam elocutionem non defore senties.

3) Cf. Serv. ad Aen. 1, 41. Errat Bunte (praef. p. 21) qui caput 124 hic affert; vox 'filius' errore aliquotiens omissa est.

4) Cf. Apoll. (209, 4 W.): τῆς εἰς οἶκον ἀνακομιδῆς.

ferre necesse erat[1]), ut: **28** (57, 6) ‘dicunt Neptuni et Iphimedes filios fuisse atrotos’; **30** (64, 2) ‘leonem Nemaeum ... in antio amphriso[2]) atrotum necavit’; **31** (65, 13): Aethonem (i. e. ἀετὸν)[3]) aquilam quae Prometheo cor exedebat sagittis interfecit’; **188** (120, 1) ‘ex quo natus est aries chrysomallus’; **28** (57, 12): ‘est †styx[4]) inter columnam sedens ad quam sunt deligati’.[5])

E. Auctores graeci.

In universum argumentum Fabularum libri a graecis scriptoribus assumptum esse consentaneum est. Atque horum nomina nobiscum communicantur: **4** (40, 1): Huic capiti inscriptum est: ‘Ino Euripidis’; in indice (p. 2): ‘Ino alia Euripidis’.[6]) **8** (41, 14): ‘Eadem’ [scil. Antiopa] ‘Euripidis [quam scribit Ennius]’; in indice (p. 5): ‘eadem Euripidis’. **14** (45, 22): ‘Salaminam quam Apollonius Rhodius Ἀτθίδα vocat’.[7]) **154** (27, 5): Fabulae inscriptum est: ‘Phaethon Hesiodi’.[8]) Praeterea legitur in vs. 14 eiusdem fabulae: ‘harum (scil. sororum Phaethontis) lacrimae, ut Hesiodus indicat, in electrum sunt duratae.’ **154** (27, 10): ‘hic amnis (scil. Padus) a Graecis Eridanus dicitur quem Pherecydes primus vocavit’. **183** (36, 3): Equi Solis appellantur Eous, Aethiops Bronte Sterope.] ‘huic rei auctor est Eumelus Corinthius’. **183** (36, 4): Post verba Eumeli commemorata pergit Hyginus narrare: ‘item quos Homerus tradit †abrax aslo therbeeo.[9])

Ceteri auctores non nominantur.[10]) Sed de nonnullis locis accuratius agendum est. Neque enim desunt quae dubitationem moveant.

Ac primum quidem de Euripide auctore fabularum 4 et 8 quid iudicandum sit, statuere necesse est. Atque utramque fabulam spuriam esse mihi videri libere profiteor. Nam primum argumenta earum fabularum iam antecedentibus exposita sunt (fab. 1 . 2 = 4; fab. 7 = 8). Et si quis lectionis variae causa eas additas esse opinetur, neque in Fabularum libro neque in Apollodori bibliotheca quae illi operi simillima est[11]), ea hoc modo additur. Praeterea cur fabula quarta

---

1) Alia multa non versa vd. p. h. l. 6 sq. 2) At cf. p. 6 adn. 3. 3) ‘Aethonem’ pro nomine proprio habuisse videtur; ‘aquila’ fortasse interpolatio est. 4) Cf. p. 7. 5) Alia vocabula corrupta (ameleon ixition ypsipylon) nomina propria esse videntur; cf. p. 6 adn. 2. 6) ‘Eurypidis’ in ind. 7) Cf. I 93: Τελαμὼν μὲν ἐν Ἀτθίδι νάσσατο νήσῳ. Itaque νῆσον vocem addiderunt Bunte et Schmidt. 8) In indice: ‘Phaeton hesiod.’ F. 9) Bursian (cf. Fleckeis. ann. 93, 774 sq.) coniec.: ‘Abraxas Soter Bel Iao’. Quod rectum esse videtur. 10) Commemorantur 81 (82, 14) ‘veteres’ (cf. Lange l. c. p. 47. Schmidtii coniectura: ‘⟨alios⟩ alii auctores ...’ reicienda esse videtur); 186 (117, 21); 200 (127, 9); 273 (147, 12) ‘alii poetae’; simil. Lectio varia quomodo afferatur, indicavi p. h. l. 33. 11) Quod infra demonstrabo; cf. p. h. l. 31 sqq.

non statim alteri quae idem argumentum exhibet adiuncta est, sed alia interponitur? Nam in priore parte huius libelli ordo optimus est.[1]) Itaque a margine in textum eam receptam esse existimo. Accedit quod sermone fabulae inter se differunt: nam cum in fab. 2 legatur 'Inus' 'Ino' (acc. bis)[2]), in fab. 4 legitur 'Inonis' 'Inonem' (ter) 'Themistonis' 'Themistonem', cum in 7 Zethon (F zeton), in 8 Zethus Zethum (Zetus Zetum).[3])

Cautione opus est in fab. 154 tractanda cui Hesiodi nomen inscriptum est. Nam etiamsi huius quoque fabulae argumentum iam fab. 152 expositum est, tamen quoniam in universum de natura posterioris partis libri Fabularum adhuc nondum satis accurate disputatum est[4]), num haec fabula spuria iudicanda sit, dicere non possum. De ipso autem Hesiodi nomine fortasse Buntei sententia[5]), qui titulum 'Phaethon Hesiodi' ex verbis supra allatis a librario quodam fictum esse censet, probanda est. Cuius rei Lange causas affert.[6])

Homeri autem nomen commenticium esse post Bursiani[7]) disputationem omnes concedere puto.[8]) Nomina equorum enim, si recte ab eo restituta sunt, non ab antiquo illo Homero, sed a poeta ultimorum temporum quibus omnes religiones confundebantur ea assumpta esse apparet, modo ex carmine petita sint.[9])

Quod denique Pherecydes in fab. 154 commemoratur, certo illud enuntiatum interpolatum esse nondum demonstratum est.[10]) Quamquam suspiciosam rem esse non nego.[11])

Plerosque igitur illorum scriptorum auctores Hygini existimari non posse vidimus. Sed ex ipsis rebus narratis alios quos secutus est indicare possumus.

Ut deorum dearumque generatio ex Hesiodi potissimum Theogonia expressa est, fab. 14 secundum Apollonium Rhodium, bellum Troianum secundum Homerum.[12]) Alia ex poetis Graecis assumpta esse formis epicis nominum comprobatur.[13]) Fab. **181** (p. 36) qua Actaeonis mors

---

1) Qua de re vd. p. h. l. 40. Nam ordinem a Schmidtio factum mihi displicere non celo. 2) Usus fab. 1 cum f. 2 congruit; cf. 'ex Ino', 'ex Themisto'. 3) Quod in fab. 4 extrema idem iisdem fere verbis atque in f. 2 scriptum legimus, argumentum inde repeti non potest. Ceterum cum Schmidtio et Bursiano (cf. Fleckeis. ann. l. c. p. 772, 776) consentio his fabulis removendis. De rebus narratis cf. Lange p. 36 sqq. 4) Cf. infra p. h. l. 42. 5) Cf. edit. p. 120. 6) Cf. Lange p. 33. (Priora quae exponit, non probo.) Bursian l. c. p. 774. 7) Cf. Fleck. ann. l. c. p. 774 sq. 8) Reicienda est sententia Langei qui dicit l. c. p. 13 adn. 2: 'Homerum qui in fabula de equis Solis afferatur auctorem esse hymni in Solem (31)' [ubi post verba ὑπὸ δ' ἄρσενες ἵπποι carmen hiat] et Buntei qui p. 138 'Euhemerus' fortasse legendum esse censet. 9) Cf. Burs. l. c. cum adn. 29. 10) Schmidt id enuntiatum seclusit. 11) De Pherecyde huius rei auctore cf. frg. 33 c Muell. 12) Interposita sunt sane ex aliis poetis nonnulla. 13) Cf. supra p. 9.

describitur non ex Ovidio, sed ex opere graeco adscitam esse alia ratione nuper ostendi.[1])

At scriptores latini, sint sane plurima ex ipsis operibus graecis sumpta, commemorantur. Quae dubitatio iam tollenda est.

F. Auctores latini.

In Fabularum libro invenies hos scriptores latinos commemoratos: **8** (41, 14 in titulo): 'Eadem Euripidis quam scribit Ennius.' **14** (49, 19): Argus], 'speciem ac formam Cicero in Phaenomenis exponit his versibus': sequuntur decem versus. **177** (30, 20): 'hic ergo septentrio maior. de qua (scil. Callisto) in Creticis versibus'[2]): sequ. quattuor versus incerti poetae. **183** (36, 5): 'item quos (scil. Solis equos) Ovidius[3]) Pyrois Eous Aethon et Phlegon.' **221** (130, 15): sententiae septem sapientium septem versibus incerti poetae eduntur. **260** (144, 8): 'in hoc monte (scil. Eryce) dicitur etiam Anchises sepultus[4]), licet secundum Catonem ad Italiam venerit.'[5])

Praeter hos scriptores Hyginum aliis usum esse facile apparet, ut: **57** (60, 9) 'idem: prima leo postrema draco media ipsa chimaera', qui versus est Lucretii 5, 902 Bern. et **273** (148, 11), quo loco ludi funebres quos Aeneas in Sicilia fecit secundum Vergilium[6]) enarrati sunt.

Nonne igitur in Fabularum libro conficiendo scriptores latini adhibiti sunt? Non puto. Nam mea quidem sententia demonstrari potest hos omnes locos in genuino libro non fuisse, sed postea demum illatos vel adiectos esse.

Eorum locorum in ipsis fabulis prioris libelli partis[7]) inveniuntur primus Ennii secundus Ciceronis septimus Lucretii. Atque fabulam 8 cuius in titulo Ennius commemoratur, spuriam esse iam supra[8]) exposui. Ciceronis nomen apparet in extrema fabula 14 qua Argonautae enumerantur. Sed nemo non videt heroum indicem, qui verbis: 'celeuma dixit Orpheus Oeagri filius'[9]) absolvitur, plane aliena sequi quae ad rem propositam non pertineant verbisque: 'haec est navis Argo quam Minerva in sideralem circulum rettulit' novum argumentum addi.[10]) Praeterea contraria sunt verba ipsius fabulae: Argus] 'fuit fabricator navis Argo'[11]) atque: 'faber Argus Danai filius'[12]) et verba extremae

1) In 'Schedis philologis' p. 110 ex indice in litteras digesto. 2) Sic F; 'Arateis (arataeis)' Barth et Bunte, 'Eratosthenicis' Bernhardy, 'eroticis'? Schmidt. Non placent. Fortasse nihil mutandum est, ut titulus intellegendus sit 'Cretica'. 3) Cf. Met. 2, 153 sq. 4) Cf. Verg. Aen. 5, 760 sq. (3, 710). 5) Cf. Serv. ad Verg. Aen. 1, 570; 3, 711. 6) Cf. Verg. Aen. 5, 42 sqq. 7) Vd. infra p. 40 sqq. 8) Cf. p. 15. 9) P. 49, 15. 10) De rebus ad sideralem rationem spectantibus infra p. 36 agam. 11) Cf. p. 48, 4. 12) Cf. 49, 8.

partis interpolatae: ‘haec est navis Argo quam Minerva in sideralem circulum rettulit ob hoc quod ab se esset aedificata ac primum in pelagus deducta’.[1]) Restat unus Lucretii locus. Sed ipsa enuntiati forma ‘idem’[2]) glossema indicari videtur. Erat versus usitatissimus[3]), qui a lectore quodam in margine adscriptus est.[4])

Neque minus in praefatione libri[5]) nomina Nereidum ex Vergiliano nympharum indice falso translata interpolata sunt.[6]) Quis enim putet Hyginum quisquis est non animadvertisse Clymenen bis positam et tam gravia errata commisisse?[7]) Itaque ne hic quidem locus ullius momenti est.[8])

Sed iam mihi agendum esse video de aliis locis quos viri docti e latinorum scriptorum libris mutuatos esse contenderunt. Quorum potissimi hi sunt:

In fabula **108** (98, 1) enumerantur novem duces in equum ligneum collecti: ‘Menelaus Ulixes Diomedes Thessander Sthenelus Acamas Thoas Machaon Neoptolemus’. At Vergilius hunc catalogum in Aen. 2, 261 sqq. exhibet: ‘Thessandrus Sthenelus Ulixes Acamas Thoas Neoptolemus Machaon (primus) Menelaus Epeos (ipse doli fabricator)’. Qua in re praeter discrepantem nominis Thessandri formam maxime memorabilis est diversus utriusque scriptoris ordo et Diomedes loco Epei positus. Itaque non alter ex altero mihi pendere videtur, sed quae consentiunt communi auctori debentur.

---

1) Cf. 49, 16. 2) ‘Item’ coni. Otto in Fleck. ann. 133, 285. Non recte. 3) Adumbratur etiam fab. 151 (25, 18). Cf. praeterea Hieron. ep. sel. 2, 13 et graecum Hom. Il. 6, 181 atque Hesiod. Theog. 323. 4) Fortasse scholion olim longius erat, quoniam Lucretii nomen desideramus. 5) Cf. 10, 18. 6) Cf. Schmidt p. XXXI, Bunte p. 29: ‘ceterum non ausim affirmare omnia haec nomina ab ipso Hygino huc esse translata’. 7) Cf.: Asia Deiopea; Clio et Beroe apud Vergilium (vs. 341) Oceanitides appellantur. Omnino omnes a Vergilio non Nereides nominatae sunt. 8) Quae obstare videntur, facile reici possunt (F: Drimo, Verg.: Drymo; F: Cleio, Verg.: Clio. Versus Georg. 4, 338: ‘Nesaee Spioque Thaliaque Cymodoceque’ interpolatus est, cum in codd. nonnullis optimis desit.) Atque si quaeris quomodo factum sit ut haec nomina interpolarentur, causa satis perspicua est. Voluit enim interpolator numerum quinquagenarium expleri, cum Homerus 33 tantum nomina exhiberet. Unde memorabilia concludi possunt. In nominibus Homericis desunt hodie Halie et Callianira, addita est Panopea, scripta est pro Callianira Callianassa, quae postea demum nominanda erat. Apparet Panopeam ut lectionem variam adnotatam ad Panopen in textum irrepsisse, Callianassam lect. var. Callianirae habitam ibi adscriptam postea pro genuino nomine receptam esse et Halien in textu fuisse, cum interpolator numerum Nereidum expleret. Hi igitur errores iam aetate interpolatoris in archetypo cod. F fuisse videntur. [Omnino hic codex accuratius exaratus est quam quidam viri docti existimare videntur.] Sed num Panopeia (F panopaea) e Verg. Aen. 5, 240 accesserit, quod Schmidt putat, demonstrari non potest. Origo ultimorum nominum adhuc obscura est. Cf. Roscher, lex. myth. II, 1412 s. vv. Kreneis, Krenis.

De ludis autem, quos Aeneas in Sicilia fecit quosque Hyginus secundum Vergilium enarrat, hoc loco non agendum est, quoniam hic index in posteriore parte libelli quam olim cum priore non cohaesisse ostendam[1]) exstat.

Eadem de causa ad meam curam non pertineret si fabulas **134** (114, 9) et **181** (36, 16) ex Ovidio translatas esse constaret. Sed paucis eam sententiam falsam esse ostendi potest. Ac de hoc quidem loco repetere quae nuper dixi[2]) et de illo curiosos ad Dietzii disputationem delegare licet.[3]) Verum concedo communem auctorem statuendum esse. Licet enim Ovidius viginti nautas fuisse dicat, nomina undecim tantum exhibet et Hyginus totidem fere affert.[4]) Neque ordine sic differunt, ut non inde confirmatio peti possit. Nam etsi poeta ordinem in suum usum mutavit, tamen cum Hygino aliquatenus congruit, quod ex hoc indiculo — numeris suprascriptis versus, in quibus nomina nautarum apud Ovidium leguntur, indico — apparet: Aethalides[647] Medon[671] Lycabas[624, 673] Libys[*617*, 676] Opheltes[605, 641] Melas[*617*] Alcimedon[*618*] Epopeus[*619*] Dictys[615] Simon Acoetes[582, 696].[5])

Quae omnia si reputo, in libro genuino auctores latinos adhibitos esse concedere adhuc non possum. At viri docti nonnullos locos indagavisse sibi visi sunt, quos Hyginus ex operibus poetarum latinorum ad verbum descripserit. Quorum plurima Schmidt in adnotationibus exempla attulit. Sed in ipso limine, siquidem **154** (27, 18) ad verba: 'is quoque moriens flebile canit' adnotat: 'versum redolent: 'moriens quoque flebile cantat'[6]) cautione opus esse dico et haud scio an nimio talia investigandi studio ductus sit. Sed ut recte de hac re omnes iudicare possint, iam omnes locos, qui ab aliquo viro docto denotati sunt, secundum poetas[7]) digestos sub unum conspectum componam.

Ennius:

150 (25, 10): Iuppiter Atlanti] 'caeli fornicem super humeros imposuit. qui adhuc dicitur caelum sustinere'. Enn. ap. Cic. de orat. 3,40,162: 'caeli ingentes fornices'.[8]) — **91** (87,2): 'uxor eius praegnans[9]) in quiete vidit se facem ardentem parere .... (87, 5): ne id patriae exitio foret'. Fragm. trag.[10]) (Cic. de div. 1, 21, 42): 'máter gravida

1) Cf. infra p. 40 sqq. 2) Cf. Sched. phil. p. 109. 3) Gaudeo quod viri doctissimi Maass Unger Crusius idem contenderunt. 4) Cf. 114, 19: 'numero fuerunt duodecim'. Fortasse igitur recte Micyllus Proreum ex met. vs. 634 addidit. Non probo quae Schmidt p. 115 in adnot. contendit ('decem' eqs.). 5) 'Aethalion' et 'Melanthus' Ovidius. 'Simon' apud Ovidium deest. Quod nomen non ab interpolatore additum, sed ex exemplari graeco translatum esse mihi videtur. 6) Sed cf. Dietze p. 32 adn. 4. 7) Scholiastas hoc loco non oportet respici. 8) Dietze p. 35 suam sententiam exposuit. 9) Cf. pg. insequ. 10) Incerti auctoris Alexandro Enniano a Ribbeckio attributum.

párere se ardentém facem visa ést in somnis Hécuba .... eum ésse exitium Tróiae, pestem Pérgamo'.[1])

Vergilius:

61 (61, 16): 'Salmoneus .... cum tonitrua et fulmina imitaretulr ovis, sedens quadrigam faces ardentes in populum' eqs. Cf. Aen. 6, 585—587[2]): 'vidi et crudelis dantem Salmonea poenas dum flammam Iovis et sonitus imitatur Olympi. quattuor hic invectus equis et lampada quassans' etc. **80** (82, 4): Castor] 'dicitur alterna morte redemptus'. Cf. Aen. 6, 121[3]): 'fratrem Pollux alterna morte redemit'. [Cf. **251** (139, 6)]. **91** (87, 2): Hecuba] 'praegnans in quiete vidit se facem ardentem parere'. Cf. Aen. 7, 319 sq.: 'nec face tantum Cisseis praegnans ignis enixa iugalis'.[4]) **108** (98, 3): 'Troiani ... arbitrati sunt hostes abisse .... (98, 9): portarum custodes occiderunt sociosque signo dato receperunt'. Cf. Aen. 2, 25: 'nos abiisse rati' et 266 sq.: 'caeduntur vigiles portisque patentibus omnes accipiunt socios'.[5]) **128** (112, 6) Dietze (cf. p. 50) ipse non premit. **135** (115, 3, 4, 7): Laocoon] 'sorte ductus ut sacrum faceret Neptuno ad litus, Apollo .... a Tenedo .... dracones misit ..... quod Laocoon hastam in equum Troianum miserit'. Cf. Aen. 2, 201, 203, 231: 'Laocoon ductus Neptuno sorte sacerdos .... gemini a Tenedo ..... angues incumbunt pelago .... qui .... tergo sceleratam intorserit hastam'.[6]) [Loci indicum **240** (134, 9) = Aen. 6, 511; **249** (138, 9) = Aen. 6, 518; 273 = Aen. 5 catalogusque Nereidum hic non tractandi sunt. Cf. Dietze p. 55.]

Horatius:

108 (98, 4): 'Priamus ... feriati magnopere ut essent edixit.' Cf. carm. 4, 6, 14: 'male feriatos Troas'. [Cf. Dietze p. 51]. **112** (100, 3): 'servavit Apollo'. Cf. sat. 1, 9, 78.

Tibullus:

55 (59, 18): Tityus] 'novem iugeribus ad inferos exporrectus iacere dicitur'. Cf. 1, 3, 75: 'porrectusque novem Tityos per iugera terrae'. Quae verba eodem iure ex Vergilio transcripta dicere poteris; cf. Aen. 6, 596: 'per tota novem cui iugera corpus porrigitur'; cf. praeterea Ovid. amor. 3, 12, 25; met. 4, 457; Ibid. 181.[7])

---

1) Cf. Dietze p. 34, qui Ribbeckium refutat. 2) Cf. Dietze p. 36 sq. 3) Cf. Dietze p. 41. Quod de verbo 'dicitur' addit, non rectum est. Cf. p. h. l. 33 adn. 5. 4) Cf. p. antec. Itaque eodem loco Hyginus et Ennium et Vergilium descripsisse existimatur. 5) Cf. Dietze p. 50 sq. 6) Cf. Dietze p. 49. 7) Cf. Dietze p. 36. Haec verba redeunt ad Odyss. λ 577: ὁ δ' ἐπ' ἐννέα κεῖτο πέλεθρα.

Ovidius:

α) Ars amatoria.

148 (22, 2, 4—5, 9): Vulcanus] 'catenam ex adamante fecit et circa lectum posuit . . . ille (scil. Sol) eos nudos cubantes vidit, deos omnes convocavit . . . . Soli Venus ob indicium . . . semper fuit inimica'. Cf. 2, 577 sqq.: 'Mulciber obscuro lectum circaque superque disponit laqueos. . . . impliciti laqueis nudus uterque iacent. convocat ille deos. 573: 'indicio Solis' . . .[1])

β) Metamorphoses:

28 (53, 7): 'tauros aeripedes, qui flammas naribus spirabant, iungeret adamanteo iugo'. Cf. 7, 104: 'ecce adamanteis Vulcanum naribus efflant aeripedes tauri'.[2]) **31** (65, 20): 'quod eae (scil. Hesperides) pomis replerunt et cornu copiae appellarunt'. Cf. 9, 87: 'pomis et odoro flore repletum'. Ad versus 87 et 89 praeterea verba: 'sive nymphis' spectare a Dietzio dicuntur.[3]) **36** (67, 20): 'Hercules Licham . . . . rotatum in mare iaculatus est'. Cf. 9, 217: 'terque quaterque rotatum mittit in Euboicas tormento fortius undas'.[4]) **55** (59, 18): Cf. supra Tibullum. **64** (62, 17, 23): 'Perseus Mercurii talaribus volans . . . . Polydectes vidit Perseum tantam virtutem habere'. Cf. 4, 667: 'et liquidum motis talaribus aera findit' et 5, 243: 'iuvenis virtus per tot spectata labores'.[5]) **65** (63, 4): 'hae aves nidum ova pullos in mari septem diebus faciunt hiberno tempore'. Cf. 11, 744: 'coeunt fiuntque parentes perque dies placidos hiberno tempore septem incubat Alcyone pendentibus aequore nidis'.[6]) **75** (79, 22, 23): Tiresias] 'redit in pristinam speciem. eodem tempore inter Iovem et Iunonem fuit iocosa altercatio'. Cf. 3, 331, 332: 'forma prior rediit . . . . arbiter hic igitur sumptus de lite iocosa'.[7]) **96** (89, 11): 'Thetis Nereis cum sciret Achillem filium . . . si ad Troiam expugnandam isset periturum'. Cf. 13, 162: 'praescia venturi genetrix Nereia leti'.[8]) **98** (93, 1): Diana] 'caliginem eis obiecit cervamque pro ea supposuit'. Cf. 12, 32, 34: 'nubemque oculis obiecit . . . supposita fertur mutasse Mycenida cerva'. Qui locus etiam Dietzio dubitationem movet.[9]) De verbis: 'Argus Arestorides' **145** (24, 8) cf. Dietzii adnot. in p. 25. **148** (22, 1): Vulcanus] 'catenam ex adamante fecit'. Cf. 4, 176[10]): 'graciles ex aere catenas

---

1) Cf. infra f. 148. 2) Cf. Dietze p. 36. Prop. 4, 11, 9. 3) Dietze p. 53 cum adn. 4. 4) Cf. Dietze p. 40; Senecae Herc. fur. 1011: 'bis ter rotatum misit'. 5) De verbis: 'sive Proetus' (62, 22) hic non agendum est. Cf. Dietze p. 25 adn. 6) Cf. Dietze p. 54. 7) Cf. Dietze p. 39. 8) Mire hos locos concinere dicit Dietze p. 29. Sed ipse simile Apollodori initium commemorat (156, 13). 9) Cf. Dietze p. 39 adn. 3. 10) Cf. Dietze p. 39; cf. supra.

retiaque et laqueos . . . elimat'. **154** (27, 7): Phaeton] 'curribus male usus est'. Cf. 2, 146: 'consiliis, non curribus utere nostris'.[1]) **165** (19, 14): 'e cuius sanguine flumen Marsya est appellatum'. Cf. 6, 399 sq.: 'inde petens rapidum ripis declivibus aequor Marsya nomen habet'.[2]) **167** (20, 19): 'et Bimater est dictus'. Translationem cognominis Διμήτωρ mythographum ab Ovidio mutuatum esse Dietze putat.[3]) Cf. 4, 12 (3, 317 'bis genitus' Bacchus appellatur). **172** (28, 6, 7): 'Oeneus cum . . . Dianam praeteriisset, ea irata aprum . . . misit'. Cf. 8, 278, 282: 'praeteritae cessasse ferunt Latoidos aras . . . misit aprum'.[4]) **174** (29, 19—21): Althaea] 'titionem ex arca prolatum in ignem coniecit . . . sorores . . . praeter Gorgen et Deianiram . . . in aves sunt transfiguratae'. Cf. 8, 460, 542: 'protulit hunc (scil. torrem) genetrix . . . . praeter Gorgenque nurumque nobilis Alcmenae'.[5]) **182** (35, 18): 'hae . . . munere alumni potitae sunt, qui Medeam rogaverat'. Cf. 7, 296: 'capit hoc a Colchide munus'.[6]) **185** (117, 6, 7, 11, 12, 14, 16, 17): pater constituit], 'qui eam (scil. Atalantam) ducere vellet, prius in certamine cursu cum ea contenderet . . . edoctus quis usus in eis (scil. malis) esset . . . ammiratur aurum, declinavit . . . oblitus beneficio Veneris vicisse grates ei non egit'. Cf. 10, 570, 651, 667, 682: 'sum potiunda nisi victa prius cursu . . . docui quis usus in illis . . . nitidique cupidine pomi declinat cursus . . . nec grates immemor egit'.[7]) Quibus observatis a Schmidtio Dietze haec addidit: 117, 4: 'quae virtute sua cursu viros superabat'. Cf. 560 sq.: 'forsitan audieris aliquam certamine cursus veloces superasse viros'. Praeterea adscivit vs. 581: 'digna cui grates ageret' et 683: 'convertor in iram' (Hyginus: 'irata Venere'). Cum verbis 117, 18: 'cupiditate incensus cum ea in fano concubuit' comparavit vss. 689, 690: 'illic concubitus intempestiva cupido occupat Hippomenen, a numine concita nostro. **189** (120, 9, 16): 'commutat eum in hospitis figuram . . . secede de hoc coetu'.[8]) Cf. 7, 722: 'immutat meam figuram' et 2, 465: 'deque suo iussit secedere coetu'. **191** (122, 12, 15 sqq.): 'Midae Liber pater . . . optandi[9]) dedit potestatem . . . . petit a Libero ut sibi speciosum donum eriperet . . . quem Liber iussit in flumine Pactolo se abluere. cuius corpus aquam cum tetigisset' . . . Cf. 11, 100, 133, 141 sq.: 'huic deus optandi gratum . . . fecit muneris arbitrium . . . . speciosoque eripe damno . . . subde caput corpusque simul, simul elue crimen . . . vis aurea tinxit flumen et humano de corpore cessit in amnem'.[10]) **198** (126, 15, 17, 19, 20; 127, 2): Scylla] 'patri fatalem crinem praecidit . . . ille negavit Creten sanctissimam tantum scelus recepturam

---

1) Cf. Dietze p. 6. 2) Quod ne Dietze quidem comprobat. Cf. p. 30. 3) Cf. p. 37. 4) Cf. p. 43. 5) Cf. p. 44. 6) Cf. p. 52. 7) Cf. p. 47 sq. 8) Cod. 'recede de hoc tu'; 'coetu' corr. Mic. Cf. Dietzii refutationem p. 31. 9) Cod. 'deoptandi'. 10) Cf. p. 44.

. . . . [Nisus] in avem haliaeton id est aquilam marinam conversus est, Scylla filia in piscem, cirim quem vocant . . . [ea avis] piscem . . raptum unguibus dilaniat'. Cf. 8, 85, 99, 100, 146 sq., 150 sq.: 'fatali nata parentem crine suum spoliat . . . . ego non patiar Iovis incunabula Creten . . tantum contingere monstrum . . . . factus erat fulvis haliaeetos alis . . . . ibat ut haerentem rostro laceraret adunco . . . plumis in avem mutata vocatur ciris et a tonso est hoc nomen adepta capillo'.[1]) **199** (127, 8): Scylla] 'Ulixem praenavigantem sociis spoliavit'. Cf. 14, 71: 'sociis spoliavit Ulixen'. Quibus addidit Dietze[2]) haec: 127, 5 Circe . . medicamentis aquam inquinavit'. Cf. 14, 55 sq.: portentificisque venenis inquinat'. 127, 6: 'quo Scylla cum descendisset, ab inguinibus eius canes sunt nati'. Cf. 14, 59 sqq.: 'Scylla venit mediaque tenus descenderat alvo, cum sua foedari latrantibus inguina monstris adspicit'. **200** (127, 14): 'Daedalion est conversus in avem daedalionem id est accipitrem'. Cf. 11, 344: 'et nunc accipiter'. **201** (127, 16)[3]): 'ut quidquid surripuisset, in quamcumque speciem vellet, transmutaretur, ex albo in nigrum vel ex nigro in album' eqs. Cf. 11, 313 sqq.: 'nascitur Autolycus furtum ingeniosus ad omne, candida de nigris et de candentibus atra qui facere adsuerat'. **204** (128, 19): noctua] 'pudoris causa in lucem non prodit'. Cf. 2, 594: 'lucem fugit tenebrisque pudorem celat'.[4]) **253** (140, 6): 'contra fas concubuit . . . Menephron cum Cyllene filia in Arcadia et cum Bliade matre sua'. Cf. 7, 386: 'dextera Cyllene est, in qua cum matre Menephron concubiturus erat'. **274** (150, 22): 'Perdix . . . serram ex piscis spina repperit'. Cf. 8, 244 sq.: 'ille etiam medio spinas in pisce notatas traxit in exemplum, ferroque incidit acuto perpetuos dentes et serrae repperit usum'.[5])

γ) Fasti.

2 (39, 2): 'quam Liber Leucotheam voluit appellari, nos matrem Matutam dicimus, Melicerten autem deum Palaemonem, quem nos Portunum dicimus', quae mihi quidem glossema esse videntur[6]), secundum Ovidii versus 6, 545—547 Dietzio scripta esse videntur: 'Leucothea Grais, Matuta vocabere nostris: in portus nato ius erit omne tuo. quem nos Portunum, sua lingua Palaemona dicet. **194** (125, 2): Periander] 'Arionem iussit ornatum . . . delitescere'. Cf. 2, 111: 'protinus in medias ornatus desilit undas'. Quibus Dietze addidit[7]) 12, 15: 'ut ornatu suo et corona decantaret'. Cf. 2, 105: 'capit ille coronam'.

---

1) Cf. Dietze p. 40. 2) Cf. p. 46. 3) Cf. p. 38. 4) Cf. p. 41. 5) Cf. Bursian. in Fleckeis. annal. 93, 783. 6) Cf. p. h. l. 30. 7) Cf. p. 37 cum adnot. 5.

δ) Ibis.

123 (106, 1): Neoptolemi] 'ossa per fines Ambraciae sparsa sunt.' Cf. 303 sq.: 'nec tua quam Pyrrhi felicius ossa quiescant sparsa per Ambraciae quae iacuere vias.'[1])

Lucretius:

82 (82, 21 sq.): 'item saxum super caput eius ingens pendet quod semper timet ne super se ruat'. Cf. 3, 978 sq.: 'nec miser inpendens magnum timet aëre saxum Tantalus, ut fama est, cassa formidine torpens'.

Statius:

134 (114, 18): 'delphini Tyrrheni sunt appellati'. Cf. Achill. 1, 18: 'Tyrrheni greges'.[2])

Incertus poeta:

Ad incertum poetam redire putat Dietze cognomen Geryonis 'trimembris' in fab. **30** (64, 21; cf. 12, 23).[3])

Senarium sibi invenisse visus est Barth[4]) in fab. **28** (57, 10): 'qui ad inferos dicuntur hanc poenam pati'.

Praeterea ex poeta quodam — sed nescit ex quo — Schmidt haec verba desumpta esse putat: **9** (42, 16, 21): 'cincta viri cultu' et: 'lacrimae manare'. **125** (108, 16; 109, 8): 'ab inguine' et: 'quae in mari exigit aevum'.[5])

Multis locis Fabularum libri accurate pertractatis Dietze demonstravisse mihi videtur Hyginum in universum poetis latinis — imprimis Ovidio Vergilioque — in rebus enarrandis usum non esse, sed hos et illum ad communes libros graecos redire. Qua re sententia eorum qui multa ad verbum ex poetis latinis transscripta esse opinantur, multo veri dissimilior fit. Itaque iure Dietze[6]) contendit: 'vestigia elocutionis poeticae cautissime examinari oportebit. Schmidt enim in editione, ut imitationem poetarum significaret, haud pauca litteris diductis imprimenda curavit, quae levissima ac forte illorum verbis similia sunt, alia praeterea ad locos poeticos coniectura adcommodare conatus est. cuius ratio iure a Mayero et Ungero vituperata est.' Atque ipse multo cautius dicit[7]): 'iam vero animadvertimus saepius verba poetarum latinorum ita adhiberi, ut eorum auxilio narratio poetae aut hypotheseos graecae in sermonem latinum vertatur'.[7]) Sed ne hoc quidem concedere possum. Neque enim per se haec ratio exemplaris graeci vertendi probabilis est, ut Hyginus pauca

---

1) Cf. Dietze p. 54. 2) Cf. p. 35. Iam Dietze et Unger hanc similitudinem vanam esse contenderunt. 3) Cf. p. 37. 4) Cf. adversar. 8,2. 5) Cf. p. h. l. 31 adn. 2. 6) Cf. dissert. p. 32. 7) Cf. p. 35. P. 43 adn. 2: 'Hyginus exemplar graecum auxilio poetae vertere videtur' al.

verba hinc inde petita e poetis adsciverit et narrationem iis ornaverit. Neque vero hi loci tam insignes sunt, ut eos memoria eum tenuisse veri simile sit. Quis autem vocabulorum usitatorum causa libros poetarum evolvet? Atque nemo non videt aliquantum interesse inter interpretem sermonis humilis et poetam qui ab alio ornamenta orationis versuumque partes mutuetur. Accedit quod poeta et mythographus saepe variam mythi formam exhibent eoque minus hic ad illius imitationem impellitur. Sed Schmidt imitationem ne tum quidem agnoscere dubitavit, si similia verba in aliis narrationibus poetae invenirentur.[1]) Haec autem omnia non comprobanda sunt, si verba ipsa contrarium statuendum esse docent. Equidem nexum tam artum esse mihi persuadere non possum et spero alios mihi assensuros esse. Si Hyginus Ovidii narrationes pedestri sermone reddidisset, concederem nonnulla ad verbum translata esse; sed quoniam eum aliis auctoribus usum esse constat, minus probabile est. Quam vulgaria autem ea verba collata sint, vel inde apparet, quod saepius plures loci e pluribus scriptoribus cum uno loco Hyginiano comparati sunt. Itaque nihil ea re ostenditur nisi ipsa natura rerum expositarum accidisse, ut scriptores iisdem verbis uterentur. At nonne multa poetici coloris indicia in Hygino inveniuntur, unde eum poetas lectitasse eluceat? Sane, sed hoc neminem miraturum spero, qui iam in scriptore graeco quem verterit ea fuisse[2]) et inde servata esse meminerit.

G. De rebus romanis.

Sed fortasse ex additamentis quibus res romanae tractantur quaeque ex auctore graeco translata esse non possunt, proprium scriptoris latini, non ab interprete factum esse Fabularum librum concludendum est. Iam hos quoque locos componam:

α) Voces graecae explicantur.

2 (39, 2 sqq.): Inonem] ‘Liber Leucotheam voluit appellari, nos matrem Matutam dicimus, Melicerten autem deum Palaemonem quem Portunum dicimus’.[3]) 7 (41, 9): pastores] ‘alterum Amphionem ὅτι ἐν διόδῳ ἢ ὅτι ἀμφὶ ὁδὸν αὐτὸν ἔτεκεν (scil. Antiopa) id est quoniam in bivio eum edidit’ [appellarunt].[4]) **12** (43, 15): ‘monocrepis id est uno pede calceatus’. **52** (58, 22): ‘tunc Iuppiter formicas in homines transfiguravit, qui Myrmidones sunt appellati, quod graece formicae myrmeces dicuntur’. **53** (59, 1): ‘Asterie in avem ortyga[5]) com-

1) Cf. e. g. Dietze p. 31. 2) Vd. similia in Apollodori bibliotheca. 3) Cf. fab. 125 et 224 in pg. insequ. 4) Iam antecesserunt verba (41, 7): ‘dolor eam in ipso bivio coegit partum edere’. Zethi nominis explicatio (ἀπὸ τοῦ ζητεῖν τόπον) latine non redditur. 5) Cf. p. h. l. 7 adn. 2.

mutata est, quam nos coturnicem dicimus'. (**59** (61, 1): 'illa . . . dicitur novies ad litus cucurrisse quod ex eo Ἐννέα ὁδοὶ[1]) graece appellatur'.) Ibid. (61, 5): 'cuius ex nomine folia graece φύλλα sunt appellata'. **71** (78, 8 in titulo): 'epigoni id est filii'. **87** (84, 11): 'puerum inventum pastores caprae subdiderunt ad nutriendum. Aegisthus est appellatus ideo quod graece capra aega[2]) appellatur'. **92** (87, 20): 'excepta Eride id est Discordia'. **96** (89, 14): Achillem] 'virgines Pyrrhum nominarunt quoniam capillis flavis fuit et graece rufum πυῤῥὸν dicitur'. **118** (102, 22): 'id fieri debere quod hecatomben[2]) graece dicitur, cum centum armenta occiduntur. itaque Menelaus hecatomben fecit'.[3]) **125** (109, 7): 'Leucothoe quam nos matrem Matutam dicimus'.[4]) **126** (110, 3): 'Eumaeus sybotes. hoc est subulcus pecoris'. **129** (112, 12): Oeneo Liber muneri vitem dedit] 'fructumque eius ex nomine hospitis oenon[2]) ut vocaretur instituit'. **131** (113, 17): 'simulat in regno se sacra facere velle, quae trieterica dicuntur quoniam post annum tertium faciebat'. **138** (16, 11): 'in arborem philyram, hoc est tiliam, commutata est'. **139** (17, 10): 'impuberes convocavit . . . qui graece Curetes sunt appellati'.[5]) **143** (23, 15): 'Mercurius sermones hominum interpretatus est. unde ἑρμηνευτής dicitur esse interpres. Mercurius enim graece Ἑρμῆς vocatur'. **153** (26, 17): 'cataclysmus quod nos diluvium vel irrigationem dicimus'. Ibid. 27, 5: 'ob eam rem λαὸς dictus. λᾶας enim graece lapis dicitur'. **166** (20, 6): 'Erichthonium ideo nominarunt, quod ἔρις graece certatio dicitur, χθὼν autem terra dicitur'. **179** (35, 12): 'quem (scil. Liberum) Mercurius ab igne ereptum Nyso dedit educandum et graece Dionysus est appellatus'. **183** (36, 1—3): 'Aethops quasi flammeus est . . . Bronte quae nos tonitrua appellamus, Sterope quae fulgitrua'.[6]) **192** (122, 23): 'quae a fratris (scil. Hyantis) nomine appellantur Hyades[7]) . . . nonnulli quod cum oriantur pluvias efficiant; est autem graece ὕειν pluere'. Ibid. 123, 6: Pleiades ita nominatae sunt], 'quia inter se coniunctae, quod est πλησίον.' **196** (126, 2): Pan] 'aegocerus est dictus, quem nos capricornum dicimus'. **198** (126, 19): Nisus] 'in avem haliaeton id est aquilam marinam conversus est'. **200** (127, 14): 'Daedalion est conversus in avem daedalionem id est accipitrem'. **224** (132, 15): 'Ino . . . in Leucotheam quam nos matrem Matutam dicimus'.[8]) **261** (145, 4): 'sacrificii con-

1) Cod. 'enneados'. Fortasse Ἐννέα ὁδοὺς. Cf. adn. insequ. 2) Mirum est quod apud Hyginum nomina graeca a verbis appellandi dicendi sim. pendentia saepius in forma accusativi afferuntur. Cf. 'aega hecatomben oenon (pyrrhum)'. Itaque hae formae non mutandae sunt. 3) Non recte Schmidt textum tractavit. 4) Cf. supra f. 2 et infra f. 224. 5) De ceteris additamentis vd. p. insequ. 6) 'Eous' non explicatur. Locus mutilatus esse videtur. 7) Quod sequitur: 'easdem suculas latine vocant' h. l. non versio vocis Ὑάδες, sed additamentum esse videtur. Cf. p. 4 adn. 2. 8) Vd. supra f. 125. Ad verba quae sequuntur: 'Melicertes in deum Palaemonem' nihil hoc loco adnotatur.

suetudo adolescentum verberibus servabatur, qui vocabantur βωμονῖκαι, quia aris superpositi contendebant qui plura posset verbera sustinere'. **273** (147, 9): 'pythaules qui pythia cantaverunt septem habuit palliatos qui voce cantaverunt, unde postea appellatus est choraules'. **274** (149, 5): 'Cerasus vinum miscuit; unde miscere κεράσαι est dictum'. Ibid. 149, 11: 'Belone prima acum repperit, quae graece βελόνη appellatur'. **275** (151, 10): 'Thebae quae hecatonpylae appellantur ideo quod centum portas habent'. Ibid. 151, 17: 'Thebas heptapylas, quae septem portas habuisse dicuntur'.[1])

β) Cetera additamenta latina:

31 (65, 20): Cornu Acheloi] 'Hesperides pomis replerunt et cornu copiae appellarunt'. **65** (63, 1): 'Hesperi sive Luciferi'. **134** (114, 9): 'Tyrrheni qui postea Tusci sunt dicti'. **139** (17, 11): 'qui graece Curetes sunt appellati; alii Corybantes dicuntur, hi autem Lares appellantur'. **147** (21, 14): 'Cereri sacra instituit quae Thesmophoria graece dicuntur'. **154** (27, 10): Padus] 'hic amnis a Graecis Eridanus dicitur quem Pherecydes primus vocavit'. **177** (30, 18, 20 sqq.): totus finis fabulae quo res ad sideralem rationem pertinentes tractantur. **220** (130, 1): Tota fabula latina est. (Homo vocatur, 'quod ex humo videtur esse factus'.)[2]) **221** (130, 15). Idem cadit in sententias septem sapientium. **224** (132, 1): 'Ariadnen Liber pater Liberam appellavit'. **261** (144, 21): Orestes simulacrum Dianae] 'sustulit absconditam fasce lignorum, unde et fascelis dicitur, non tantum a face cum qua pingitur quod et Lucifera dicitur, et Ariciam detulit'. **274** (151, 9): 'Belus Neptuni filius gladio belligeratus est unde bellum est dictum'.

Notabilis locus est **273** (147, 5): 'pammachium quod nos pancratium vocamus'.

Dubitari potest de loco **49** (57, 15): 'eos qui fulmina fecerant id est Cyclopes interfecit', cum origo verborum interpositorum non nota sit.[3])

Quibus locis hi addendi sunt de institutis Romanis[4]):

80 (82, 2): 'deprecatus est Pollux ut liceret ei munus suum cum fratre communicare ... unde etiam Romani servant institutum: cum desultorem mittunt unus duos equos habet, pileum in capite, de equo in equum transilit: quod ille sua et fratris vice fungatur'. **261** (145, 2): 'cum postea Romanis sacrorum crudelitas displiceret, quamquam servi immolarentur, ad Laconas [Diana] translata [est], ubi sacrificii con-

---

1) De fab. 178 et 195 vd. p. 4. 2) Cf. Burs. in Fleck. annal. 93, 780; Buecheleri disputat. in mus. rhen. 41, 5. Non huc pertinet fab. 178 (34, 17): ex nomine Phoenicis] 'appellati sunt Poeni', quod pro eo substituenda est forma Φοίνικες; cf. p. 4 adn. 2. 3) Cf. Apoll. 142, 8: κτείνει Κύκλωπας τοὺς τὸν κεραυνὸν Διὶ κατασκευάσαντας. 4) Cf. Lange p. 26.

suetudo adolescentum verberibus servabatur qui vocabantur βωμονῖκαι, quia aris superpositi contendebant qui plura posset verbera sustinere'. **274** (151, 5): 'quod exemplum hodie Romani servant et cum aliquis decessit, tubicines cantant et amici convocantur testandi gratia eum neque veneno neque ferro interisse. Cornicines[1]) autem classica invenerunt'. **277** (153, 11): Triptolemus] 'frugibus super caput eius (scil. suis) positis . . . Cereri immolavit. inde primum inventum est super hostias molam salsam imponere'. (Alia in proximo capite addentur.)

γ) Fabulae Italicae

hae commemorantur:

88 (84, 19): 'Thyestes . . . profugit ad regem Thesprotum, ubi lacus Avernus dicitur esse'.[2]) **127** (111, 20): 'Ex Circe et Telemacho natus est Latinus qui ex suo nomine latinae linguae nomen imposuit: ex Penelope et Telegono natus est Italus qui Italiam ex suo nomine denominavit'. **243** (136, 2): 'Dido Beli filia propter Aeneae amorem se occidit'. **251** (139, 9): ab inferis rediit] 'Hippolytus Thesei filius voluntate Dianae qui postea Virbius est appellatus . . . Aeneas Anchisae filius propter patrem'. **252** (139, 18): 'lacte ferino nutriti sunt . . . Romulus et Remus Martis et Iliae filii ab lupa . . . Camilla Metabi regis Volscorum filia ab equa'. **254** (140, 19): 'In Sicilia cum Aetna mons primum ardere coepit, Damon matrem suam ex igne rapuit, item Phintia patrem. Aeneas item in Ilio Anchisen patrem humeris et Ascanium filium ex incendio eripuit'. **255** (141, 19): impia fuit:] 'Tullia Romanorum super parentis corpus currum duxit, unde vicus sceleratus est dictus'. **256** (142, 1): castissima fuit] 'Romanorum Lucretia Lucretii filia coniunx Collatini'. **260** (144, 7): 'in quo (scil. Eryce) Aeneas Veneris templum constituit. in hoc autem monte dicitur etiam Anchises sepultus licet secundum Catonem ad Italiam venerit'. **261** (145, 7): 'Orestis vero ossa de Aricia[3]) Romam translata sunt et condita ante templum Saturni, quod est ante clivum Capitolinum iuxta Concordiae templum'. **277** (153, 5): litteras] 'Euandrus profugus ex Arcadia in Italiam transtulit quas mater eius Carmenta in latinas commutavit num. XV'.

Num autem **128** (112, 6): 'Sibylla Samia; alii Cumaeam[4]) dixerunt' hoc loco recte afferatur valde dubium esse Buecheler me admonet. Nam quoniam 'Cymeam' in F scriptum sit, vide ne Cyme Aeolis dicatur. Italica est 'Cumaea'.

---

1) Sic F; 'Hortini' coni. O. Schneider coll. Serv. Aen. 7, 716. Memorabilia antecedentia quoque verba sunt: 'unde (scil. ex nomine Tyrrheni) tuba Tyrrhenum melos dicitur.' 2) Vd. p. insequ. 3) Cf. p. antec. 4) Corr. Scheffer.

δ) Locorum Italicorum

atque in finitimis terris sitorum praeter ea quae iam commemorata sunt[1]) horum mentio fit:

Eridani[2]) (**14** (45, 24): 'Zeuxippe Eridani fluminis filia'). **152** (26, 10): Phaethon] 'prae timore decidit in flumen Eridanum'.

Lilybaei: **14** (48, 18): Butem] 'Venus delatum fluctibus Lilybaeo servavit'.

Adriatici maris: **23** (53, 23): Aeeta] 'cum in Adriatico mari in Histria eam (scil. Medeam) persecutus esset', eqs.

Histriae: **23** (54, 12): 'Haec autem insula (scil. Absoris) posita est in Histria contra Polam iuncta insulae Cantae'. **26** (55, 17 sq.): Medea] 'in itinere Absoridem[3]) venit ... ibi Absoritani serpentium numero resistere non poterant'.

lacus Averni[4]): **125** (108, 1): Ulixes] 'proficiscitur ad lacum Avernum, ad inferos descendit' ...

maris Tyrrheni: **134** (114, 18): 'unde (scil. a nautis Tyrrhenis) .. mare Tyrrhenum est dictum'.

Sirenidum: **141** (22, 17): 'a quibus locus Sirenides cognominatur qui est inter Siciliam et Italiam'.

Aetnae montis: **146** (20, 22): Pluto rapit Proserpinam] 'flores legentem in monte Aetna qui est in Sicilia'. **152** (26, 6): Typhon] 'cum flagraret montem Aetnam qui est in Sicilia super eum imposuit (scil. Iuppiter), qui ex eo adhuc ardere dicitur'. **153** (26, 19): Deucalion et Pyrrha] 'in montem Aetnam qui altissimus in Sicilia esse dicitur[5]), fugerunt'.[6])

Selinuntis: **257** (142, 14 sqq.) in fabula Moeri.

Qui loci quantum valeant ad quaestionem nostram diiudicandam si pensitamus, apparet nullius momenti esse primum caput, cum eae interpretationes nominum graecorum, ut lectores fabulas narratas comprehendere possint, prorsus necessariae sint. Neque vero pleraeque fabulae in quibus loca in Italia sita reperiuntur, ullum pondus habent. Nam aut in libris graecorum quoque scriptorum hae fabulae leguntur et a Graecis acceptae sunt[7]) aut in altera Fabularum libri parte insunt, de cuius origine et natura nunc non disputo. Supra enim iam dixi mea quidem sententia priorem partem libelli usque ad fabulam **127** (p. 111) olim proprium librum fuisse ceteraque quae sequntur postea addita esse[8]) aut si quae capita suo loco mota sunt, tot interpolationibus accessionibusque inquinata esse, ut disputatio de hac

---

1) Italia (ter) Aricia Volsci Roma (Capitolium templa Saturni et Concordiae vicus sceleratus) Eryx Aetna lacus Avernus Cumae. 2) Vd. p. h. l. 27 (in fabula interpolata) et 30. 3) Apud Apollod. Ἀψυρτίδες νῆσοι 45, 10; 46, 3. 4) Cf. p. antec. 5) Cf. Apoll. 18, 17: Αἴτνη ὄρος· τοῦτο δὲ ὑπερμέγεθές ἐστιν. 6) Vd. p. h. l. antec. 7) Vd. p. 36 adn. 6. 8) Vd. p. 40.

posteriore parte difficillima sit.[1]) Itaque de his tantum locis mihi disserendum est:

2 (cf. p. 25) de matre Matuta et Portuno,
14 („ „ 29) de Zeuxippe Eridani filia,
ibid. („ „ 29) de Bute apud Lilybaeum promunturium a Venere servato,
23 (cf. p. 29) de rebus in Absoride insula gestis,
31 („ „ 27) de cornu copiae,
65 („ „ 27) de Lucifero,
80 („ „ 27) de desultoribus,
88 („ „ 28) de lacu Averno,
125 („ „ 29) „ „ „
ibid. („ „ 26) de matre Matuta,
127 („ „ 28) de Latino et Italo.[2])

Quorum locorum hi leves sunt: secundus de Zeuxippe, quod Eridanus pater eius non clarissimus ille fluvius Italiae, sed rivus Atticus est; tertius de Bute, quod fabula graeca est (cf. Apoll. 45, 19); quartus de rebus in Absoride insula gestis eadem de causa, etiamsi nomina partim mutata vel latina pro graecis substituta sunt[3]); sextus, quo nomen graecum Ἕϲπεροϲ additamento 'sive Luciferi' explicatur; sed fortasse iam in graeco exemplari legebatur ἢ Φωϲφόρου[4]); ultimus de Latino et Italo. Nam illam fabulam Graecis non ignotam fuisse constat Hesiodi[5]) aliorumque testimoniis praeterquam quod apud Hyginum nepos, non filius Ulixis est. Hanc autem de Italo fabulam cum Hyginus solus exhibeat[6]), difficile dictu est, utrum iam a Graecis an a Romanis demum ficta sit. Sed quoniam Italus a scriptoribus graecis commemoratur, hunc locum mihi gravem iudicare nolo.

Restant sex loci, quorum duo de matre Matuta. Atque a me impetrare non possum eos genuinos esse ut iudicem. Nam primum in ea re offendo, quod ter in uno libro idem adnotatur Leucotheam a Romanis matrem Matutam appellari (fab. 2, 125, 224), deinde quod haec ratio versionis latinae addendae inusitata est in hoc libro[7]), tum quod in fab. 2 ea verba in fine exstant, ubi saepius glossemata

---

1) Nihilo minus omnes locos composui, ut omnes ipsi iudicare possent. 2) Omitto fab. 49 (cf. p. 27). 3) Vd. p. 29 adn. 3 et Roscheri lexic. myth. 1, 4 s. v. Absyrtos. 4) Cf. Roscher. l. l. I, 2603. Pape, lex. nom. propr. 2, 1658. 5) Theog. 1011 sqq.; Apoll. p. 233, 10; Rosch. II, 1904. Prelleri myth. graec. 2[3], 469. 6) Roscher II, 563. 7) Alibi voces 'sive' vel 'id est' adhibentur; cf. e. g.: 65, 22; 63, 1; 57, 15; 43, 16; 126, 19. Plerumque versio latina explicationem antecedit. Cf. h. l. p. 25 sq. Unum exstat simile exemplum: 'ortygem quam nos coturnicem dicimus' (59, 1); nam fabula astronomica 196 (125, 17) non testimonio esse potest. Praeterea memorabile est semper eadem verba adhiberi: 'quam nos matrem Matutam dicimus'.

leguntur.[1]) Omnino autem talia additamenta a consuetudine auctoris libelli abhorrent. Quod autem in matrem Matutam cadit in filium eius Portunum.[2])

Haud aliter finem fab. 80 quo de desultoribus agitur interpolatori tribuo. Nam hoc quoque additamentum, nisi forte ultima libelli capita comparare vis, prorsus inusitatum est. (Cf. adn. 2 sub fin.)

Difficillima autem est quaestio de cornu copiae et de lacu Averno, quoniam minus traditum accepimus, quam ut accurate de his fabulis agi possit. Fortasse fieri potuit, ut res a Graecis acceptae glossematis latinis inquinarentur. Sed iudicium contineo. (Maximas dubitationes movet locus 'profugit ad regem Thesprotum, ubi lacus Avernus dicitur esse'. Cf. Roscher I, 739; 714.)

Quae omnia si reputantur, iam mihi concessum iri spero priorem partem Fabularum libri non a proprio auctore scriptam, sed ab interprete tantum exemplar graecum versum esse. Atque si quis in uno alterove loco haesitat, postremo ei perparvum additamentorum numerum ostendo, quo sententiam contrariam multo veri dissimiliorem fieri existimo. Itaque quod Wilamowitz nuper[3]) contendit: 'alles Römische ist Interpolation im Hygin: wer das nicht weiss, hat ihn niemals mit Bedacht gelesen', modo rectis terminis circumscribatur, libenter accipio.

II. Fabularum liber cum Apollodori bibliotheca comparatur.

Iam opus est demonstrare Hygini et Apollodori libros simillimos esse. Qua in re neminem tam artum conexum exspectare puto, ut fabulae enarratae congruant. Nam cum in communi exemplari nunc deperdito multo maior materies olim congesta et ad singulas fabulas discrepantiae illustrium auctorum adnotatae essent[4]), in altero libro altera mythi forma conservata est. Itaque eum conexum comprobatum iri puto, si etiam in iis rebus, quae ad fabulas enarrandas non necessariae sint sed quasi insuper addantur, eadem ratione eos uti ostendero. Quod in omnibus harum rerum generibus iam faciam.

---

1) Cf. fab. 14 (49, 16); 177 (30, 20). 2) Non ago hoc loco de verbis fab. 224 (132, 15), de quibus seorsim agere necesse est. Utrum verba: 'quae in mari exigit aevum' (109, 8) item interpolata sint an in exemplari graeco iam fuerint, difficile dictu est. (Cf. Odyss. 5, 335: νῦν δ' ἁλὸς ἐν πελάγεσσι θεῶν ἐξ ἔμμορε τιμῆς; Apoll. 114, 11 sqq. Roscher l. l. II, 2012.) Quod apud Apoll. Isthmiorum mentio fit, ultima Hygini verba genuina existimanda sunt. — Fortasse glossema incipit a verbis: 'ideoque dicitur alterna morte redemptus' (cf. Verg. Aen. 6, 121). 3) Cf. Isyll. Epidaur. p. 49. Idem fere contenderunt Schmidt Robert Bethe. Cf. Dietze p. 26. 4) Id ita olim fuisse ex reliquiis lectionis variae apud utrumque conservatis cognoscere licet.

α) Iisdem auctoribus, quoad nunc iudicare licet, utuntur.

1. Apollodorus. [1])

Epicis poetis: Homero Hesiodo Eumelo Asio Pisandro Panyassi Cercope Apollonio Rhodio Orphicis auctoribus Iliadis parvae Nostorum Thebaidis Naupactiorum Alcmeonidis[2]); tragicis poetis: Sophocle Euripide; ceteris poetis: Stesichoro Simonide Pindaro Telesilla; scriptoribus rerum gestarum: Acusilao Melesagora Pherecyde Herodoro Asclepiade Dionysio Mytilenaeo Philocrate Demarato Castore. (Poetae tragici in universum commemorantur 57, 12: ὡς οἱ τραγικοὶ λέγουσι, 57, 25: ὡς οἱ τραγικοί, 51, 18: Κάστωρ ... καὶ πολλοὶ τῶν τραγικῶν ... λέγουσιν. Omnino veri simile est Apollodorum pleraque ex operibus poetarum tragicorum sumpsisse; sed singula singulis fabulis attribuere, ut saepe a viris doctis factum est, difficillimum et incertum est. Nunc nihil assequi possumus nisi probabilitatem quandam.)

Lectio varia his verbis indicatur: οἱ μὲν λέγουσιν ... οἱ δὲ ... τινὲς δέ. ὡς δὲ ἔνιοι λέγουσιν. ἢ ὥς τινες. ὡς μὲν ἔνιοι λέγουσιν ... ὡς δὲ ἔνιοί φασιν. ὡς μὲν ἔνιοι λέγουσι ... ὡς δὲ ἄλλοι πάλιν, ὡς μέν τινες εἶπον ... ὡς δέ τινες ... ὡς δὲ ἔνιοι. οἱ μὲν καλοῦσιν ... οἱ δέ. λέγεται δὲ ὑπ' ἐνίων. ἡ καλουμένη ... ὡς δὲ ἔνιοι ... Ἡσίοδος δὲ λέγει. ὡς δέ τινές φασιν ... ἄλλοι δέ. λέγεται δὲ καί. πολλοὶ δὲ λέγουσιν. ὡς μὲν Ἀκουσίλαος λέγει ... ὡς δὲ οἱ πλείονες. 127, 2: οὐ περὶ τῆς πηρώσεως καὶ τῆς μαντικῆς λέγονται λόγοι διάφοροι. 125, 14: τινὲς δὲ Τυδέα μὲν καὶ Πολυνείκην οὐ καταριθμοῦσι, συγκαταλέγουσι δὲ τοῖς ἑπτὰ Ἐτέοκλον Ἴφιος καὶ Μηκιστέα similia permulta. Uno loco auctor his verbis facit iudicium: ταῦτα δὲ ἦν, οὐχ ὥς τινες εἶπον ... ἀλλὰ ...[3])

2. Hyginus. [4])

In Fabularum libro etsi multo magis quam Apollodori bibliotheca in angustum contractus est eaque re maxime lectio varia qua narratio interrumpebatur omissa est, tamen vestigia eius non desunt. Ut commemorantur: epici poetae **14** (45, 23) Apollonius Rhodius, ⟨**183** (36, 4) Homerus[5]), **154** (27, 14) Hesiodus, **183** (36, 4) Eumelus Corinthius⟩; tragici poetae: ⟨**4** (40, 1); **8** (41, 15) Euripides (sed in fabulis mea quidem sententia interpolatis)⟩; scriptores rerum historicarum: ⟨**154** (27, 11) Pherecydes.⟩

Alios auctores graecos coniectura memorare licet; sic in fab. 14 Apollonio Rhodio, in fab. 125 et 126 Homeri Odyssea Hyginum usum esse apparet. De fab. 181 vd. supra p. 16.

1) Accuratum locorum indicem vd. in editione Wagneri p. 319 sq.
2) Accedit oraculum quoddam p. 166, 5. De Euphorione vd. schol. Tzetz. 911 (Apoll. 220, 10); de Timaeo Tzetz. 1141 (Apoll. 222, 22). 3) Agitur de situ loci cuiusdam. 4) Quamquam mea interest locos prioris tantum partis libelli enumerare, tamen reliquos quoque uncis inclusos addam. Ubi non opus est, infra delectum tantum locorum exhibebo. 5) In loco obscurissimo.

Lectio varia[1]) sic additur: **65** (63, 1) 'Hesperi sive Luciferi'[2]); **91** (87, 2): 'Hecuba Cissei sive Dymantis filia'; cf. [**31** (65, 19, 22)]; **74** (79, 9); ⟨**192** (122, 19); **241** (134, 17); **249** (138, 7): 'Hecuba Cissei sive Dymantis filia')⟩; **111** (99, 10): 'Hecubam Cissei filiam vel ut alii auctores dicunt Dymantis'; ⟨**273** (147, 12): 'alii poetae dicunt Theseum'; **81** (82, 14) post indicem procorum Helenae sequuntur in F verba: 'alia veteres'.[3]) Saepe invenitur verbum 'dicitur'; sed in eo non eum sensum inesse quem Dietze putat[4]), loco **132** (114, 2): 'hic traditur unum pedem sibi pro vitibus excidisse' ostenditur.[5])

β) De inventionibus.

1) Apollodorus.

19, 14: Πύῤῥαν . . . ἣν ἔπλαϲαν θεοὶ πρώτην γυναῖκα. 24, 1: Οἰνεὺϲ . . . παρὰ Διονύϲου φυτὸν ἀμπέλου πρῶτοϲ ἔλαβε. 116, 10: Διόνυϲοϲ δὲ εὑρετὴϲ ἀμπέλου γενόμενοϲ. 57, 21: Ἀκρίϲιοϲ καὶ Προῖτοϲ] πολεμοῦντεϲ εὗρον ἀϲπίδαϲ πρῶτοι. 58, 13: Μελάμπουϲ . . . μάντιϲ ὢν καὶ τὴν διὰ φαρμάκων καὶ καθαρμῶν θεραπείαν πρῶτοϲ εὑρηκώϲ. 92, 14: Ποδάρκην ἔφη δεῖν πρῶτον . . δοῦλον γενέϲθαι. 139, 12: Ἑρμῆϲ] εὑρίϲκει πρὸ τοῦ ἄντρου νεμομένην χελώνην. ταύτην ἐκκαθάραϲ εἰϲ τὸ κύτοϲ χορδὰϲ ἐντείναϲ ἐξ ὧν ἔθυϲε βοῶν καὶ ἐργαϲάμενοϲ λύραν εὗρε καὶ πλῆκτρον. 139, 25: Ἑρμῆϲ . . . ϲύριγγα πάλιν πηξάμενοϲ ἐϲύριζεν κτλ.

2. Hyginus.

14 (49, 16)[6]): 'haec est navis Argo quam Minerva in siderale circulum rettulit ob hoc quod ab se esset aedificata ac primum in pelagus deducta'. **39** (69, 6): 'Daedalus . . qui fabricam a Minerva dicitur accepisse, Perdicem . . propter artificii invidiam, quod is primum serram invenerat, summo tecto deiecit'. ⟨**138** (16, 9): 'Chiron centaurus qui artem medicam primus invenisse dicitur'. **142** (23, 5): 'Pyrrha quae mortalis dicitur prima esse creata'. **143** (23, 16): 'postquam Mercurius sermones hominum interpretatus est (unde ἑρμηνευτὴϲ dicitur esse interpres; Mercurius enim graece Ἑρμῆϲ vocatur) id est nationes distribuit, tum discordia inter mortales esse coepit . . . itaque [Iovis] exordium regnandi tradidit Phoroneo ob id beneficium quod Iunoni sacra primus fecit'. **144** (23, 7): ignem] 'Prometheus in ferula detulit in terras monstravitque hominibus, quomodo cinere obrutum servarent'. **145** (24, 5): Niobam] 'Iuppiter mortalem primam compressit'. **147** (21, 9): Ceres] 'Triptolemo . . aeternum beneficium

---

1) Quam incertum sit carmina deperdita ex Hygino aut Apollodoro restituere, cognoscatur e fabb. 125 et 126, quibuscum Odysseam comparare licet: cf. Lange p. 51 sq.; praeterea Calypsus patriam Aeaeam (109, 2). 2) Vd. p. 27. 3) Cf. Lange p. 47; ille locum sic explicat: alia nomina veteres poetae tradiderunt. 4) Cf. supra p. 20 adn. 3. 5) 'scribitur' 14 (46, 16); 'dicitur' e. g.: 61, 12; 61, 22; 51, 19; 56, 7 alibi. 6) Loco interpolato.

tribuit; nam fruges propagatum currum draconibus iunctum tradidit, quibus vehens orbem terrarum frugibus obsevit'. **164** (18, 14 sqq.): 'inter Neptunum et Minervam cum esset certatio qui primus oppidum in terra Attica conderet . . . Minerva . . primum in ea terra oleam sevit . . Minerva oppidum Athenas condidit quod oppidum in terris dicitur primum esse constitutum'. Cf. **165** (19, 1); **258** (143, 21)[1]); [**274** (p. 149); **277** (p. 152 sq.).[2])]⟩

γ) De rebus ad religiones spectantibus.

1. Apollodorus.

13, 23: γραῖά τις Ἰάμβη σκώψασα τὴν θεὸν ἐποίησε μειδιᾶσαι. διὰ τοῦτο ἐν τοῖς θεσμοφορίοις τὰς γυναῖκας σκώπτειν λέγουσιν. 46, 23: δώδεκα θεράπαιναι τοὺς ἀριστέας ἔσκωπτον μετὰ παιγνίας. ὅθεν ἔτι καὶ νῦν ἐν τῇ θυσίᾳ σύνηθές ἐστι σκώπτειν ταῖς γυναιξίν. 54, 2: Δαναὸς] προσσχὼν δὲ Ῥόδῳ τὸ τῆς Λινδίας ἄγαλμα Ἀθηνᾶς ἱδρύσατο. 86, 21: ὁ δὲ βοηλάτης . . . κατηρᾶτο. διὸ καὶ νῦν, ἐπειδὰν θύωσιν Ἡρακλεῖ, μετὰ καταρῶν τοῦτο πράττουσιν. Cf. 51, 22; 88, 9[3]); 104, 13; 116, 13; 143, 13; 146, 6 sqq.; 160, 21.

2. Hyginus.

[**4** (40, 12): 'Ino . . . dea est facta'.] **36** (67, 24): 'eum (scil. Herculem) accendisse mortalitatem'.[4]) ⟨**130** (113, 6): Athenienses] 'Erigonae diem festum oscillationis pestilentiae causa instituerunt et ut per vindemiam de frugibus Icario et Erigonae primum delibarent'. **147** (21, 14): 'Triptolemus Cereri sacra instituit quae θεσμοφόρια graece dicuntur'. **168** (31, 23): 'Hypermestrae et Lynceo fanum factum est'. [Cf. fab. **224** (131); 225 (132).]⟩

Quod apud Hyginum pauci tantum loci inveniuntur, non mirum est, quia instituta graeca fabularum curiosos homines latinos non ita tenebant.

Mira interpretatio fabulae et rationalismus quidam apud Hyginum nonnullis locis invenitur: **14** (45, 5) in narratione secundum Apollonium exposita: 'hunc (scil. Caeneum) nonnulli feminam fuisse dicunt, cui petenti Neptunum propter conubium optatum dedisse, ut in iuvenilem speciem conversus nullo ictu interfici posset. quod est numquam factum nec fieri potest, ut quisquam mortalis non posset ferro necari aut ex muliere in virum converti'.[5]) Ibid. p. 46, 17:

---

1) Ultima verba mea quidem sententia interpolata sunt; cf. p. insequ. 2) Hi indices postea additi sunt. Fortasse non sine causa inde a fab. 138 fabulae de inventionibus et oppidis conditis compositae sunt. 3) Cf. Wagneri app. crit. In plerisque codicibus et schol. Hom. Θ 368 adduntur verba: ἦν δὲ οὐκ ἐξὸν ξένοις τότε μυεῖσθαι, ἐπειδήπερ θετὸς Πυλίου παῖς γενόμενος ἐμυεῖτο. 4) Quamquam sensus loci certus est, tamen quae genuina verba sint, difficile est dictu. Cf. Stav. myth. lat. p. 97. Apoll. 99, 15. 5) Cf. Apoll. 181, 22 (e Zenob. interp.)

'Lynceus sub terra quaeque latentia vidisse dicitur neque ulla caligine inhibebatur. alii aiunt Lynceum noctu †nullum vidisse. idem sub terra solitus cernere dictus est ideo, quod aurifodinas norat. is cum descendebat et aurum subito ostendebat, ita rumor sublatus eum sub terra solitum videre'.[1]) ⟨258 (143, 22): 'Atreus vero ei filium epulando apposuit ... quae sol ne pollueretur, aufugit. sed veritatis hoc est: Atreum apud Mycenas primum solis eclipsin invenisse, cui invidens frater ex urbe discessit.'⟩

Quorum similia in Apollodori bibliotheca non inveniuntur. Nam locis quibus φαϲίν additur[2]) dubitationes non moventur. Neque vero hi loci comparari possunt: 86, 5; 93, 9; 114, 1.

Itaque cum in utroque libro fabulae non vituperentur, facere non possum quin duos illos locos Hyginianos[3]) interpolatos esse censeam.[4]) Dubia res est in fab. 24 (54, 21, 23).

δ) De ludis.

1. Apollodorus.

114, 14: ἐτέθη δὲ ἐπὶ Μελικέρτῃ ⟨ὁ⟩ ἀγὼν τῶν Ἰϲθμίων Σιϲύφου θέντοϲ.[5]) 93, 21: ἔθηκε δὲ καὶ τὸν Ὀλυμπιακὸν ἀγῶνα. 126, 4: οἱ δὲ ἔθεϲαν ἐπ' αὐτῷ (scil. Ἀρχεμόρῳ) τὸν τῶν Νεμέων ἀγῶνα καὶ ἵππῳ μὲν ἐνίκηϲεν Ἄδραϲτοϲ, ϲταδίῳ δὲ Ἐτέοκλοϲ, πυγμῇ Τυδεύϲ, ἅλματι καὶ δίϲκῳ Ἀμφιάραοϲ, ἀκοντίῳ Λαόδοκοϲ, πάλῃ Πολυνείκηϲ, τόξῳ Παρθενοπαῖοϲ. Cf. 161, 8; 166, 16.

2. Hyginus.

2 (39, 4): 'huic quinto quoque anno ludi gymnici fiunt qui appellantur Ἴϲθμια'. **74** (79, 16): 'ludos puero (scil. Archemoro) funebres instituerunt, qui quinto quoque anno fiunt, in quibus victores apiacam coronam accipiunt'. ⟨**140** (18, 11): Apollo] 'Pythonem sagittis interfecit ... ludosque funebres ei fecit, qui ludi Pythia dicuntur'. **170** (34, 7): 'Lynceus ... ludos consecravit qui quinto quoque anno aguntur, qui appellantur Ἀϲπὶϲ ἐν Ἄργει. e quibus ludis cursoribus corona non datur, sed clipeus'.[6])⟩

ε) De rebus historicis.

1. Apollodorus.

30, 1: Ἐφύραν τὴν νῦν λεγομένην Κόρινθον. 65, 10: ἀπὸ τούτου (scil. Πέρϲου) τοὺϲ Περϲῶν βαϲιλέαϲ λέγεται γενέϲθαι. 112, 9: ἡ δὲ

---

1) 140, 20. 2) Cf. 18, 15; 24, 6 (λέγουϲι); 24, 10 sq.; 40, 19; 51, 17; 64, 15; 73, 14 saepe. De verbo 'dicitur' vd. p. 33. 3) Fabulam 258 non ab eodem auctore, a quo prior pars libelli versa sit, confectam esse, inde apparet quod ea res iam fab. 88 (p. 84) tractata est. 4) De fab. 270 vd. p. 36. In universum vd. Lange p. 25. 5) 93, 16: τῆϲ τρίτηϲ ἰϲθμιάδοϲ τελουμένηϲ. 6) Cf. 273 (146, 10): 'ludos fecit Lynceus Aegypti filius Iunoni Argivae qui appellantur Ἀϲπὶϲ ἐν Ἄργει. quibus ludis qui vicit accipit pro corona clipeum'. Non probo, quae Lange p. 35 adn. 170 exposuit.

(βοῦς) διεξιοῦςα Βοιωτίαν ἐκλίθη, πόλις ἔνθα νῦν εἰςι Θῆβαι. Cf. 101, 7; 113, 3; 157, 13; 205, 7; 218, 1; 222, 8 sqq.

2. Hyginus.

112 (99, 23): a Menelao] 'Euphorbus occiditur; qui postea Pythagoras est factus et meminit suam animam in corpora transisse'.[1]) ⟨Cf. **150** (25, 10): 'Atlas qui adhuc dicitur caelum sustinere'. **219** (129, 19): oppidum Aegea.] ab hoc Alexander Magnus oriundus esse dicitur'. **152** (26, 7); **225** (133, 5); **247** (138, 1); **254** (140, 19)[2]); ibid. 140, 16; **257** (142, 7, 8, 143, 1).⟩

Mirus locus est fab. 270, in qua inter eos qui formosissimi fuerint numeratur 'Iasion Ilithii[3]) filius, quem dicitur Ceres amasse, quod ipsum historiis creditur'.[4]) (Vd. praeterea fabulas Italicas (supra p. 28) et res barbarorum.)

ζ) De fabulis barbaris.[5])

1. Apollodorus.

49, 14: Μῆδος] πολλῶν κρατήςας βαρβάρων τὴν ὑφ' ἑαυτὸν χώραν ἅπαςαν Μηδίαν ἐκάλεςε καὶ ςτρατευόμενος ἐπὶ Ἰνδοὺς ἀπέθανε. 50, 10: Ἆπις . . . νομιςθεὶς θεὸς ἐκλήθη Σάραπις. Cf. 53, 2; 159, 6.

2. Hyginus.

praef. (11, 8 sqq.): Commemorantur Nilus Euphrates Tigris Indus Simois Scamandrus Thermodon Tanais Maeandrus Orontes. ⟨**145** (24, 19): Iuppiter Ionem] 'deam Aegyptiorum esse fecit quae Isis nuncupatur'. **197** (126, 3) fabula de Venere dea Syria. **240** (134, 13): 'Quae coniuges suos occiderunt: . . . Semiramis Ninum regem in Babylonia'. Praeterea in indicibus: Cf. **275** (152, 3); **277** (153, 13).[6])⟩

η) De rebus ad astronomiam pertinentibus:

1. Apollodorus.

114, 17: Διόνυςον] Ἑρμῆς πρὸς νύμφας ἐκόμιςεν ἐν Νύςῃ κατοικούςας τῆς Ἀςίας, ἃς ὕςτερον Ζεὺς καταςτερίςας ὠνόμαςεν Ὑάδας. 136, 4: Ζεὺς] τὴν Καλλιςτὼ καταςτερίςας ἐκάλεςεν ἄρκτον. (Cf. 135, 21: Ζεὺς Καλλιςτὼ] εἰς ἄρκτον μετεμόρφωςεν.)

---

1) Alia testimonia vd. apud Roscherum in vol. I p. 1408. Hic locus mihi valde suspectus est. 2) Cf. fab. 257; Sudhaus ad Aetnae vss. 604—646 p. 212 sq., 216 adn. 1. 3) Cf. app. crit. et Roscheri lex. p. II, 62. 4) De sensu dubitari potest. An 'mysteriis' olim legebatur? Cf. Theocr. 3, 50. Idem vocabulum vd. 37, 22 Σ. 5) Omitto apud utrumque res pervulgatas belli Troiani Argonautarum Herculis Amazonum Ionis similes. 6) Locos Italiae in fabulis graecis commemorari apud Apollodorum consentaneum est. Vd. s. voc.: Ἰταλία Σικελία Σικελικὴ θάλαςςα Σαρδώ Σαρδόνιον πέλαγος Τυῤῥηνία Τυῤῥηνικὸν πέλαγος Τυῤῥηνοί Αἴτνη Λιλύβαιον Ἠριδανός multisque aliis.

2. Hyginus.

14 (49, 16 sqq.): 'haec est navis Argo' . . .: iam sidus accurate describitur et stellarum numerus indicatur. ⟨Cf. **130** (113, 8); **133** (114, 5); **177** (30, 17); **182** (35, 20); **192** (122, 21); **194** (125, 7); **195** (125, 14); **196** (125, 19); **197** (126, 7)[1]); **224** (131, 11 sqq.); **258** (143, 22); **274** (150, 23).[2])⟩

Si quis in hac re bibliothecam et Fabularum librum comparabit, in hoc multo plures locos exstare videbit. Nam in Apollodori libro ne Argo quidem neque Erigonam Icarum Maeram Orionem Panem Myrtilum Pleiades[3]), quamquam fabulae enarrantur, in stellas receptos esse dicitur. Sed differunt in posteriore tantum parte, in qua Hyginus accurate has res exponit; nam in priore de Argo sola — idque loco interpolato — agitur. Praeterea inde colligere licet fabulas illius partis non in communi exemplari exstitisse.

θ) De nominibus hominum ac locorum.

1. Apollodorus:

18, 14: Τυφὼν] πολὺ ἐπὶ τοῦ ὄρους ἐξέκλυσεν αἷμα· καί φασιν ἐκ τούτου τὸ ὄρος κληθῆναι Αἷμον. 20, 9 in fabula Deucalionis Pyrrhaeque: ὅθεν καὶ λαοὶ μεταφορικῶς ὠνομάσθησαν ἀπὸ τοῦ λᾶας ὁ λίθος. Cf. 41, 21; 44, 24; 46, 18; 52, 10; 95, 9; 103, 11.

2. Hyginus.

Locos Hyginianos iam magnam partem composui p. 25 sqq. Accedunt nonnulla huiusmodi: **7** (41, 13): 'ex cuius cruore (scil. Dirces) in monte Cithaerone fons est natus, qui Dircaeus est appellatus'. **23** (54, 10): 'Colchi . . . oppidum condiderunt quod ab Absyrti nomine Absorin appellarunt'. Cf. **27** (56, 19); **38** (69, 2); **52** (58, 16); **69** (77, 15); **84** (83, 21 sqq.); **116** (101, 22); **127** (111, 20).

Neque minus in posteriore parte inveniuntur; cf. e. g. fab. **275** (151, 9): 'oppida qui quae condiderunt'.

ι) Sed etiam in genere dicendi parum differunt. Easdem enim proprietates apud utrumque invenies. Quod item probabo. Utuntur

a) *oratione directa*

aptis locis; cf. apud:

---

1) Ut supra fabulae quibus inventiones tractantur compositae sunt (vd. p. 34 adn. 2), sic in fabb. 192—197 (excepta fab. 193) res ad sidera pertinentes exponuntur. 2) Non huc pertinent duo illi loci 14 (46, 15): 'his (scil. Dioscuris) eodem tempore stellae in capitibus ut viderentur accidisse scribitur', et 80 (81, 26): 'cum autem ipse (scil. Pollux) stellam ab Iove accepisset et fratri non esset data . . . tunc deprecatus Pollux ut liceret ei munus suum cum fratre communicare'. Cf. Roscher I, 1163 sq.; Preller myth. gr. II³, 106. 3) Cf. 138, 13.

1. Apollodorum:

36, 21: ὁ δὲ ʿτὸ χρυσόμαλλον δέρας' ἔφη ʿπροσέταττον ἂν φέρειν αὐτῷ'. 194, 22: Ἀγαμέμνων] βαλὼν ἔλαφον εἶπεν· ʿοὐδὲ ἡ Ἄρτεμις'.[1]) Cf. 209, 3[2]); 214 sq.

Praeterea nonnullis locis oracula et versus poetarum ad verbum expressa leguntur, ut 62, 5; 115, 11; 128, 3.

2. Hyginum:

29 (63, 17): ʿcui Alcumena respondit: "iam pridem venisti et mecum concubuisti et mihi narrasti quae in Oechalia gessisses"'. 89, 8: Palamedes] ʿait: "simulatione deposita inter coniuratos veni"'. **108** (98, 2): ʿin equo scripserunt: "Danai Minervae dono dant"'. Cf. **105** (96, 15); **126** (110, 11, 19, 22; 111, 4, 14); ⟨**136** (115, 11, 19, 22); **167** (20, 15); **171** (28, 1); **179** (35, 8); **186** (118, 13); **189** (120, 9, 14, 24); **190** (121, 12); **191** (121, 6); **194** (125, 1); **205** (128, 21); **220** (130, 9); **257** (142, 25).[3])⟩

Praeterea exhibet uterque amplos

b) *indices nominum*:

Enumerabo omnes maiores indices Hyginianos et ad singulos adnotabo, si apud Apollodorum quoque exstent[4]):

11 (43, 6) Niobidae = Apoll. 120, 5;
14 (44, 9) Argonautae convocati = 37, 13;
48 (72, 14) reges Atheniensium;
69 (77, 16) portae Thebarum = 126, 18;
70 (77, 18) reges septem Thebas profecti = 125, 10;
71 (78, 9) septem epigoni, id est filii = 130, 19;
76 (80, 3) reges Thebanorum;
81 (82, 8) proci Helenae = 144, 7;
90 (86, 18) Priami filii et filiae numero LV = 150, 7;
97 (90, 1) qui ad Troiam expugnatum ierunt et quot naves = 191, 2;
108 (97, 23) [qui in equum ligneum sunt collecti.] — (Numerus tantum indicatur 208, 15 sqq.)
112 (99, 14) provocantes inter se qui cum quo dimicarunt;
113 (100, 10) nobilem quem quis occidit;
114 (101, 1) Achivi qui quot occiderunt;
115 (101, 14) Troiani qui quot occiderunt;
124 (106, 3) reges Achivorum;
⟨**128** (111, 21) augures;

---

1) Sed cf. 194, 24: εἶπεν οὐ δύνασθαι σωτηρίας αὐτὴν τυχεῖν οὐδ' Ἀρτέμιδος θελούσης in fragm. Sabbait. 2) Cf. ibid. in fragm. Sabbait.: γράμματα ἐγχαράξαντες τὰ δηλοῦντα· ʿτῆς εἰς οἶκον ἀνακομιδῆς Ἕλληνες Ἀθηνᾷ χαριστήριον'. 3) De his locis egit Dietze p. 13 sq. Non probanda mihi esse videntur, quae exponit. 4) Omitto ad tempus praefationem utriusque.

134 (114, 20) [nomina Tyrrhenorum];
151 (25, 12) ex Typhone et Echidna nati[1]);
155—162 (13, 1 — 16, 4) deorum filii;
163 (16, 5) Amazones;
170 (32, 18) filiae Danai quae quos occiderunt = 54, 20;
173 (28, 9) qui ad aprum Calydonium ierunt. quae civitates auxilium miserunt Oeneo = 25, 1 (civitas unde quisque venerit nonnumquam statim additur.)
182 (35, 15) Oceani filiae;
183 (36, 1) equorum Solis et Horarum nomina = 9, 6 (sed tres tantum Horas A. commemorat);
192 (123, 9) nomina Pleiadum = 138, 14;
Fabb. **221** — **277** (130 sqq.) exceptis **257**ᵇ (142, 8) — **261** (144, 10)[2])>.

Itaque duo genera indicum in priore parte libri Fabularum exstant, quae in bibliotheca desunt: regum Atheniensium Thebanorum Achivorum (48; 76; 124) et eorum ducum qui bello Troiano vicerint et interfecti sint (112—115). Hi igitur si mea coniectura rectā est, una cum posteriore parte additi sunt aut ex ea huc translati.[3])

Praefationes utriusque libri simillimas esse nemo non videt. Atque ex hac comparatione elucet Schmidtium cum capita 155 sqq. cum exordio olim cohaesisse opinaretur errasse[4]), quoniam nihil earum rerum in bibliotheca exstat.

c) At nonne Hygini liber *singulas fabulas* continet et in Apollodori bibliotheca *perpetua oratio* est? Sane, sed in Hygino posteriore demum aevo haec capita facta sunt, aut id quod mihi multo veri similius est iam in exemplari graeco inerant. Nam et in titulis verba graeca leguntur, ut in fabb. **30** (63, 22) ʿHerculis athla'; **31** (65, 4) ʿparerga eiusdem'; **71** (78, 9) ʿseptem epigoni', et iam in Apollodori posterioris aetatis codicibus materies ampla in parva capita digesta est; cf. has inscriptiones cod. Sabbait.[5]): γένεϲιϲ τῆϲ ʿΕλένηϲ ἐν ἐπιτομῇ καὶ ἁρπαγὴ καὶ ἅλωϲιϲ τῆϲ Τροίαϲ. ἱϲτορία περὶ τοῦ Μινωταύρου. περὶ τῆϲ διαβολῆϲ Φαίδραϲ εἰϲ ʿΙππόλυτον. κτήτορεϲ τῆϲ ʾΙλίου τε καὶ Τροίαϲ καὶ τῶν ἐποίκων αὐτῶν. περὶ ʾΑϲκληπιοῦ sim. Neque minus in epitoma Vaticana vestigia eius rei invenimus, cum singulae narrationes a verbo ὅτι incipiant; cf. Wagn. 177, 5; 179, 1; 181, 1, 16, 22;

1) Hic index iam in praef. (12, 16 sqq.) legitur. 2) Non huc pertinent fab. 30 (63, 22) ʿHerculis athla ab Eurystheo imperata'; 31 (65, 4) ʿparerga eiusdem'; 38 (68, 13) ʿThesei labores', quoniam illae fabulae rebus ipsis enarrandis in formam indicis rediguntur. 3) Non concinere eos videbis, si caput 48 cum conspectu Wagneri p. LXIX comparabis. 4) Cf. conspectum Wagn. p. LXII. Omnino ordo a Schmidtio confectus vix cuiquam probabilis esse videbitur. 5) Cf. Wagn. p. XXXI.

182, 16; 183, 4, 7 saepe.[1]) (Cum materia in fabulas singulas divideretur multa immutanda vel addenda fuisse Schmidt[2]) bene ostendit. Quod in Apollodoro quoque animadvertere licet; cf. e. g. 179, 1; 187, 16; 189, 19; 192, 6 compl.)

κ) Sed haec omnia levia sunt, si Apollodori Hyginique libri ordine et consilio differunt. Itaque haec quaestio summi momenti est, num in his rebus similes sint. Atque cum Apollodori bibliothecam non tot mendis quot Fabularum librum inquinatam esse constet, huius ordinem cum illo comparabo.[3])

Ab initio autem apparet quoniam uterque liber mutilatus et e maiore opere excerptus est, minutias in hac comparatione esse neglegendas. Nam ut in fabulis enarratis non conveniunt, ne eiusdem quidem libri fabulae concinunt[4]), ita ordine singularum rerum eos discrepare inter se non mirum est, praesertim cum in Hygino materie in capita digesta partes quaedam fabularum vel segregando vel conectendo transponendae fuerint. Itaque cum nonnullae fabulae artissime cohaereant et ratione temporum habita auctori ordinandae fuerint, in insequenti indice complures fabulas comprehendam.

Ac primum quidem uterque ab eadem fere narratione, a nuptiis Caeli et Terrae[5]), incipit et in eadem, in fatis Ulixis filiorumque desinit[6]), i. e. τὸν ἐπικὸν κύκλον[7]) exhibet, licet apud utrumque multis lacunis oratio hiet omissis necessariis fabulis. Neque vero premendum est, quod bibliotheca in tres libros divisa edi solet. Nam ʽin codicibus nulla partitionis vestigia apparent, quamquam laudantur in schol. Ven. A ad Hom. Α 105 Β 103 Α 42 Β 494ʼ primus secundus tertius liber.[8]) Neque aliter, num Fabularum liber in duas vel tres partes divisus fuerit, quaestio obscurissima et diiudicatu difficillima est. Nam quod in Hygini astron. 2, 12 ʽprimus liber genealogiarumʼ commemoratur, non patet quem librum ille in animo habuerit utrum prorsus alium an forte partem quandam olim ampliorem, quae in Fabularum libro iam segregari nequeat. Atque recte ex illo verbo ʽprimusʼ numerum librorum, cum ʽprimusʼ iam non a ʽpriorʼ secernatur, coniectura assequi nos posse Bursian negat.[9]) Itaque ex hac re argumentum repetere non licet.

Sed iam tabulam, qua Hygini et Apollodori dispositio facile

---

1) In praefatione materiem in capita distribuere difficile erat; itaque in ea narratio Hygini Apollodoro similis est. 2) In praef. edit. p. XXXVIII—XLIII. In singulis rebus ei assentiri non possum. Lange p. 17 sqq. 3) Cf. p. 41 adn. 1. 4) Cf. e. g. indicem Niobidarum fab. 11 (43, 6), qui non modo cum Apollodoro (120, 5 sqq.), sed ne cum fab. quidem 10 et 69 (77, 16) congruit. 5) Apoll. 5, 1; Hyg. 9, 17 sq. 6) Apoll. 237; Hyg. 111. Cf. Photii bibl. cod. 186 p. 142 (Wagn. p. 3). 7) Cf. Procli chrestom. 8) Cf. Wagn. 5 adn. Tres libros distinxit primus editor Aegius a. 1555. 9) Cf. Dietze p. 21.

comparetur, adiungam; quae autem necessaria esse videbuntur, infra adnotabo.[1])

Praefatio — Apoll. 5, 1 sqq.;

1—5[2]) Athamas Themisto Ino Phrixus Helle — 28, 11 sqq.; 114, 4 sqq.;

6 Cadmi et Harmoniae conversio — 118, 6 sqq.;

7—11[3]) Antiope Amphion Niobe Niobidae — 119, 3 sqq.[4]);

12—23 Pelias expeditio Argonautarum Phrixi filii Aeeta Absyrtus — 31, 13 sqq., 36, 8 sqq. — 45, 6;

24—27 Iason Peliades Medea Medus — 47, 23 — 49, 19;

---

28 Otus et Ephialtes — 21, 15;

29—36 Alcmena Herculis facta et mors — 66, 1 sqq. — 99, 19 sqq.;

37—48 Aethra Theseus fabulae Cretenses (Daedalus Pasiphae Minotaurus Ariadne) Philomela Erechtheus Hippolytus — 165, 21 — 180, 26; 161, 25 sqq.; 164, 22;

49—51 Aesculapius Admetus Alcestis — 140, 24 — 142, 14; (90, 10 sq.); 35, 15 sqq.;

52 Aegina — 152, 1;

53 Asterie — 11, 9;

54 Thetis — 155, 3 sqq.;

55 Tityus — 12, 3 sqq.;

56 Busiris — 86, 8 sqq.;

57 Sthenoboea — 59, 10 sqq.;

58 Smyrna — 159, 6 sqq.;

59 Phyllis — 221, 3 sqq.;

60—61 Sisyphus et Salmoneus — 30, 5; 31, 3;

62 Ixion — ⟨181, 1⟩[5]);

63 Danae — 60, 18; 64, 17 sqq.;

64 Andromeda — 63, 11 sqq.; 64, 2;

65 Alcyone — (21, 9 sqq.);

---

1) Ordinem bibliothecae genuinum esse nunc etiam codicibus Sabb. et Vatic. comprobatur. Praeterea in ea saepe ad locos antecedentes vel insequentes revocatur; cf.: 8, 10 περὶ ὧν ἐροῦμεν ὅταν τὰ κατὰ Περσέα λέγωμεν. 19, 12 ὡς ἐν τοῖς καθ' Ἡρακλέα δηλώσομεν. 30, 20. 50, 1 ἐπειδὴ δὲ τὸ τοῦ Δευκαλίωνος διεξεληλύθαμεν γένος, ἐχομένως λέγωμεν τὸ Ἰνάχειον. 50, 18. 53, 11 ὅθεν ὑπερθησόμεθα περὶ τούτου. 106, 1, 3 ὡς γὰρ ἡμῖν λέλεκται. 109, 11. 112, 1. 131, 3 ἐπαναλέγωμεν δὲ νῦν πάλιν ἐπὶ τὸν Πελασγόν. 149, 4 al. Quamquam ne hic quidem minutias premere licet. Cf. Bursian in Fleck. ann. 93 p. 776 sqq. 2) Fab. 4 interpolata est. 3) Fab. 8 interpolata est. De ceteris spuriis vd. supra. 4) Non commemorandi sunt loci, quibus fabulae adumbrantur tantum. 5) Hanc narrationem Apollodoro restituit Robert; cf. Wagneri edit. p. 181.

66—76 Laius Oedipus Eteocles Polynicesque prior et posterior expeditio contra Thebanos Antigona Hypsipyle Tiresias — 121, 4 — 134, 2;

77—125 res ad bellum Troianum pertinentes inde a nuptiis Tyndarei et Ledae usque ad Latinum et Italum — 143, 5 sqq.; 146, 13 sqq.; 182, 16 — 237 (usque ad finem).[1]

Quae capita si generatim percensemus, videmus ordinem utriusque multis rebus similem esse: post deorum natales primum de Deucalionis stirpe agitur, deinde de Inachi, tum de Agenoris, tum de Atlantis, denique de Pelopis; sequuntur Antehomerica Ilias Posthomerica Nosti Ulixis errores Telegonia.

Tamen nonnulla non congruunt:

1) Res Thebanae a Cadmo usque ad Niobidas seiunctae sunt in Fabularum libro a rebus insequentibus, quae a Laio incipiunt (fab. 7—11; 66—76). Sed non abesse suspicionem puto, quin ea capita olim coniuncta fuerint.[2]

2) Fabulae Atticae imprimis Thesei et quae cum eo cohaerent in Hygini libro ante fabulas Thebanas, in Apollodoro post eas collocatae sunt.

3) Inter fabulas Atticas et Thebanas fabulae varii argumenti leguntur, quae quomodo dispositae sint difficile est dictu.[3]

Hac disputatione me demonstravisse puto utrumque librum, etsi nunc magnis rebus dissentiunt, eadem indole et olim similes fuisse. Quod accurate exponere ut longissimum, ita difficillimum est.

Sed iam quaeritur, quidnam de altera libelli parte censendum sit. Fieri potest, ut genuinae in ea partes exstent, praesertim cum plurimae ibi fabulae legantur, quae in priore desiderantur et optime in eam inseri possunt. Sed haec quoque quaestio difficillima est neque adhuc quisquam ratione ac via eam solvit. Nam quae Schmidt disputavit non sufficere nemo non videt.[4]

Sed quoniam huc res perducta est, de sententia quadam virorum doctorum pauca addam. Sunt qui iudicent singula capita argumenta singularum fabularum scaenicarum esse eaque ab auctore libri Fabularum composita.[5] At mihi sic fere videtur: haec omnia quae in hoc libello et bibliotheca exstant a graeco scriptore composita ita ut potissimum cuiusque rei auctorem sequeretur et si quis ab eo rece-

---

1) Utilem conspectum exhibet Wagner p. LXII sqq. Vide praeterea quae Bursian in Fleck. annal. 93, 776 sqq. disputavit. 2) Quae Bethe p. 35 adn. 2 de dispositione singularum partium libelli exposuit, non comprobanda esse videntur. 3) Bursian rationem dispositionis indagare conatus est; vd. l. c. p. 777. 4) Unum commemoro: Schmidt non iure mihi fab. 155—163 cum praefatione coniunxisse videtur, quoniam ab Apollodoro eam sententiam non comprobari puto. Hi indices — neque minus alii — aliunde illati esse videntur. 5) Cf. p. 33 adn. 1.

deret quasi variam lectionem adderet, tum oratione perpetua qualis adhuc in bibliotheca legitur, enarrata erant. Sed postea commodum esse videbatur singulas fabulas indicare itaque capitula facta titulique suprascripti sunt. Praeterea eadem de causa varia lectione omissa narratio in angustum cogebatur. In singulis autem capitibus finiendis consentaneum erat plerumque unius hominis fortunam uno capitulo exponere. Quod cum etiam in fabulis scaenicis fiat, argumenta saepe congruere videntur. Itaque si quis Hygini librum ex Asclepiadis Tragodumenis confectum esse contendit vel — id quod Nauck atque Ribbeck fecerunt — ad fabulas scaenicas restituendas eo utitur, non repugno. Sed iam nihil certi constitui posse contendo. Quoniam lectio varia hodie plerumque non servata est, fortasse una fabula secundum duos vel plures scriptores enarratur, quod discernere iam non possumus. Sed illud concedi potest, ut in rebus obscurissimis, quales nobis fabulae poetarum scaenicorum et Graecorum et Romanorum sunt, hinc aliquid adumbretur imaginis. Itaque summa in hac re cautione opus est.[1])

Sed iam quaestio oritur, quomodo et qua de causa factum sit ut hi libri ita in angustum cogerentur. Ac dixerunt nonnulli eos in discipulorum usum sic excerptos esse.[2]) Quod non satis recte mihi contendisse videntur. Nam etsi in ludis pueros mythologia imbutos esse constat, tamen hos libros principio non ei usui destinatos fuisse puto. Nam in utroque multa leguntur pueris prorsus inutilia, cum necessaria desiderentur. Praeterea permultae fabulae parum honestae inveniuntur, quae licet plane evitari non potuerint tamen ex parte non necessariae sint aut verbis minus turpibus enarrari debuerint.[3]) Itaque mihi brevia mythographiae specimina fuisse videntur destinata ad usum eorum, qui litterarum artisque opera intellegere vellent. Quae postea litteris antiquitatis evanescentibus barbarieque procedente magis magisque in angustum coacta et depravata sunt.

---

1) Multae fabulae, ut 30, 31, 38 (Herculis et Thesei labores), omnino talia argumenta non continent. Neque minus Wagner in singulis rebus Proclo nimis fidem habuisse videtur; cf. dissertationem quam Epitomae Vaticanae a se editae adiecit. Hic quoque multa dubia sunt. 2) Cf. e. g. Wagneri edit. bibl. p. XXXIII, Dietze p. 21. 3) Cf. e. g.: In bibl.: 56, 12; 57, 19; 66, 14; 67, 5; 108, 20 sqq.; in Fab. libro: 23 (53, 21); 29 (63, 8); 40 (69, 10); 58 (60, 15); 62 (61, 19); 75 (79, 19); 77 (80, 10); ⟨134 (114, 9, cum vel Ovidius id evitet); 166 (20, 1); 167 (20, 12); 164[c] (18 not.); 148 (21, 15); 189 (120, 3); 190 (121, 6); 195 (125, 9); 200 (127, 9); 206 (129, 3); 253 (140, 3); 271 (146, 1); 274 (150, 4)⟩ plurima eiusmodi.

Senteniae controversae.

1. In Platonis Charmide 168E scribendum est: καὶ πάντα ἂν τὰ τοιαῦτα τοῖς μὲν ἀπιστίαν παράσχοι...
   αὖ BT, delevit Heindorf, δὴ Schanz; ἀπιστίαν BT, ἀπιστίαν ἂν Heindorf Schanz.
2. In Platonis Lyside 208 A servanda sunt quae BT exhibent: ἀλλὰ τίνα μήν; τί μήν Schanz.
3. Inscriptionum fragmenta CIA II 75 et IV 2 110C sunt coniungenda:

110c	75
Ἐπὶ Ἀρχίο[υ]	ἄρχοντος, ἐπὶ τῆ[ς Ἱπ-
ποθωντίδ[ο]	ς ὀγδόης [π]ρυταν[είας,
ἧι Κηφισόδ[δ]	ωρος Ἀθη[ν]οφάνο[υς Φ-
λυε(ὺ)ς ἐγραμ	μάτευεν· ἔ[δ]ο[ξ]εν τ[ῆι
βουλῆι καὶ	τῶ[ι δή]μω[ι]· Καλλι[κρά-
της Χαροπί	δ[Ο]Λαμπ[τρ ε]ὺς [ε]ἶ[πεν·
Ἐπειδὴ ὁ δῆ	[μ]ος ἐψ[ήφι σται κτλ.

4. In Aetnae carminis v. 282 scribendum est: 'et muto foedere pax est'.
   'multo' codd., 'iuncto' Mencken Schrader, 'mixto' Baehrens. Cf. app. crit. ad v. 277 congestum.
5. Eiusdem carminis v. 490 legendus est:
   'nunc silvae rupesque novant haec tela, solumque
   ipsa adiutat'.
   'silvae.. notant' codd., 'silvas.. notant' Sudhaus, alia alii.
6. Ibidem v. 613 sq. sic legendi sunt:
   'vix — dum castra putant hostem movisse — tremebant,
   et iam finitimae portas evaserat urbis'.
   'vixdum — castra putant hostem movisse — tremebant' Sudhaus.
7. Culicis vs. 280 sqq. legendi videntur sic:
   'iamque imam viridi radicem moverat alte
   quercus humo steterantque comae silvaeque sonorae
   sponte sua cantus rapiebant cortice avara'.
   'steterant amnes' codd. ('steterantque' ς).

Vita.

Fridericus Albertus Werth natus sum Duisburgii a. s. a. LXVIII. mensis Martii die XXX. patre Roberto matre Amalia e gente Benninghoff quam puero mihi admodum parvo acerbo fato ereptam doleo. Fidem profiteor evangelicam. Primordiis litterarum imbutus in ludo cum Regio patriae gymnasio coniuncto id ipsum inde a vere a. LXXVIII. usque ad a. LXXXVII. frequentavi.

Vere eius anni maturitatis testimonio instructus studiis philologis philosophis theologis me dediturus universitatem Fridericiam Guilelmiam Rhenanam petivi ubi per decies sex menses continenter moratus sum. A. LXXXXII. facultate docendi instructus Bonnam deserui atque ex illo tempore magistri munere fungor.

Docuerunt me viri doctissimi: †Bender †Birlinger †Bischoff Buecheler Dove Foerster Jacobi Kamphausen R. Kekulé de Stradonitz †Klein Lipps · Loeschcke †Luebbert †Mangold †Menzel †J. B. Meyer †Neuhaeuser Nissen Schnapp Sieffert Usener Wilmanns. Seminarii philologorum postquam per biennium sodalis extraordinarius fui, Buecheleri atque Useneri insigni benevolentia inter sodales ordinarios receptus per quattuor semestria egregia eorum disciplina usus sum. Kamphausen autem benigne me ad Regii theologorum seminarii exercitationes ad Vetus Testamentum interpretandum spectantes admisit. Praeterea exercitationibus ut interessem epigraphicis (bis) philologis de Umbrorum et Oscorum dialecto institutis Buecheler, archaeologis (bis) Kekulé, epigraphicis Klein, philologis Luebbert comiter mihi concesserunt.

Quibus viris omnibus optime de me meritis gratiam habeo quam maximam. Buecheler vero et Usener qui studia mea singulari favore prosecuti sunt animum meum in perpetuum sibi devinxerunt.